



6  
DISSERTATIO THEOLOGICA,  
<sup>Qua</sup>  
(Tit.) DN. NICOLAI  
STENONIS,

ex Medico Lutherano Episcopi Pon-  
tificii Titiopolitani, hodiè in aula Duca-  
li Hannoverana degentis,

ARGUMENTA PRÆCIPUA

pro deserenda Religione

Luthero-Evangelica

& amplectenda Pontificia, in diversis  
schedis allata discutiuntur.

*Hanc*

DEO JUVANTE  
PRÆSIDE

JOH. GVILIELMO BAJERO,

S. Th. D. & Prof. Publ. itemque Facult.

Theologicæ h. t. DECANO,

ad d. XIX. Octobris MDC LXXVIII. *Oct. 1678*

publicæ ventilationi submittet

OTTO à BIELEFELDT, Essend. Gvestph.

in AUDITORIO MAJORI.

JENÆ, Literis JOHANNIS WERTHERI, Typographi Ducalis.



DISSERTATIO THEOLOGICA  
(Tit.) DANIELIS  
STENONIS  
ex Medico Lutherano Episcopi Pon-  
tificii Timopolitani, hodie in  
Hannovera doctus  
ARGUMENTA PRAECIPUA  
pro deservenda Religionis  
Luthero-Evangelicae  
& amplius Pontificiae de eius  
libris illis disputantibus  
D. JOHANNES  
JOH. GUILIELMO BAIERO  
S. Th. D. & Prof. Publ. itaque Facult.  
Theologiae in Decano  
M. D. C. C. L. X. V. M. D. C. L. X. V. M.  
publica Universitatis  
OTTO BRILLERII Typogr. Guelph.  
in AUSTRIA MAIORI  
LEON. JOHANNIS WERNERI Typogr. D. C. M.







I.



Ab eo tempore, quô cœlestis veritas ex diuturnis, quibus premebatur, tenebris divinô auspiciô in lucem reducta, & rejectis corruptelis, quæ sub Papatu invaluerant, purior prædicata fuit; Nos equidem, qui & illam simul & has ex verbo Dei cognovimus, facilè in admirationem trahimur, si quis in nostra Ecclesia natus atque educatus, desertâ hâc fide ad Pontificiorum castra secedere aufit; & vix aliam concipere opinionem possumus, quàm quòd hominem talem vel spes majoris dignitatis atque opum consequendarum, vel sinisterioris fortunæ metus aut domestici statûs fastidium ceperit; certè terrenarum rerum sollicitudo mutationem illam ei persuaserit.

II. Nempè non solum singulorum atque omnium fidei nostræ capitum cum divina revelatione, in Scripturis Sacris comprehensa, exacta convenientia; verùm etiam illorum, quæ Pontificii peculiaria habent, dogmatum perversitas, & cum Sacris Scripturis pugna adeò luculenter hæctenus ostensa, omniumque oculis exposita sunt, ut neque ad nostram religionem deferendam, neque ad Pontificiam eligendam ullum argumentum satis validum atque efficax appareat: imò nec defuerint, qui controversias nostræ Ecclesiæ cum Pontificia, ne quidem amplius, post tot exarata utrinque scripta, novô labore ac libris publicis posthac tractandas esse existimarent.

III. Quando tamen subinde nobis occurrunt tristia spectacula eorum, qui naufragium fidei faciunt; neq; omnes, qui à nobis ad Pontificios transeunt, satis manifesta improbitatis

A

tatis



tatis atque animi ad res terrenas maximè proni signa præbent: plerique etiam pertinaciter asseverant, convictos se atque in conscientia certos redditos fuisse: recordamur sanè illorum, quæ aliàs de perpetuis Satanae infidiis, atque ad seducendos homines quotidie adhiberi solitis fraudibus, itemque de humani ingenii, peccatò orginis pessimè corrupti, indeque ad ea, quæ clarissima sunt, sæpè cœcutientis, & præjudiciis variis obnoxii, miserâ sorte didicimus: Dumque Apostatarum corda inspicere nobis non licet, his Deo scrutatori atque arbitro relictis; nos interim (ubi vel frater errans reducendus, vel fides nostra liberanda est à calumniis adversantium, qui de extensis Romanæ Ecclesiæ pomœriis ita sibi gratulantur, ut nostram ad incitas mox redactum iri clament) etiam hanc operam non defugimus, quâ & nostram religionem malè & cum præsentissimo animæ periculo desereri, & Pontificia sacra pessimò atque perniciosissimò consiliò suscipi demonstratur.

IV. Atque ita, cum Vir magni nominis, DN. *Nicolaus Steno*, antehac Medicinæ Professor in Regia Hassniensi, & scriptorum suæ artis diversorum laudem non exiguam consecutus; nuper autem in Italia Romanæ Ecclesiæ civis factus, & à Pontifice Episcopi Titiopolitani titulò ornatus, sedem denique in aula Ducali Hannoverana nactus, non ipse solùm, editis variis schedis permutationem pristinae religionis cum Pontificia à se factam, atque aliis imitandam, ut legitimam ac necessariam propugnare: verùm etiam alios in societatem defectionis pertrahere cœpisset, in eoque opere diligenter pergere diceretur, ac nobis etiam offerrentur opuscula Stenoniana Florentiæ edita, & ut illis excutiendis horas aliquas impenderemus, postularetur: hæsit equidem aliquandiu animus; partim quòd homines ejusmodi rarissimè sanari, ac frequentius ad convitia & scommata converti intelligeret, partim quòd post plurima Nostratium scripta in isthoc negotio occupata similem operam aggredi idem esse videretur, atque actum agere. Tandem verò, perlustratis chartis Stenonianis, quodque antiqua illa, à nostris pridem

re-



refutata, argumenta, novô quôdam schemate ornata produci deprehenderemus; decretum est, paucis quaternionibus illas ventilare, & præcipuè quidem ostendere, quomodo motiva illa conversionis ab Auctore exposita, (si quid enim fortè aliud in pectoribus illius & sociorum clausum lateat, nolumus tamen de eo intempestivè judicare) non solùm conscientiæ fati facere nequeant; verùm etiam ad subruendam eâdem viâ totam religionem Christianam necessariò tendant.

V. Sunt autem scripta DN. Nic. Stenonis, quæ quidem hætenus accepimus, sequentia. I. *Ad virum eruditum, cum quo in unitate S. R. E. desideret æternam amicitiam inire, Epistola, detegens illorum artes, qui suum de Interprete S. Scripturæ errorem sanctorum Patrum testimonio confirmare nituntur.* A. 1675. II. *Ad virum eruditum &c. Epistola, exponens methodum convincendi A catholicum, juxta D. Chrysostomum ex ejusdem hom. 33. in Act. Apost. A. 1675.* III. *Ad novæ Philosophiæ reformatorem de vera Philosophia epistola A. 1675.* IV. *Scrutinium Reformatorum ad demonstrandum Reformatores morum in Ecclesia fuisse à Deo, reformatores fidei non fuisse à Deo A. 1677.* V. *Ex pluribus ad Johannem Sylvium Calvinii dogmata Amstelodami docentem, ante quinquennium, & quod excedit scriptis, binæ epistolæ: Alterâ de propria Conversione; alterâ de infelici ipsius Sylvii ad geminum ipsi propositum syllogismum responso An. 1677.* At nos h. l. in excutiendis præcipuè his, quæ de propria conversione, itemque pro reformatione morum & contra reformationem fidei in postremis duobus scriptis exhibet, occupabimur, ita tamen, ut quæ in cæteris continentur, occasione datâ simul in examen vocaturi simus.

VI. Itaque dum de desertione fidei Evangelico-Lutheranæ & accessu ad Pontificiam Ecclesiam disputamus; ante omnia monemus, quod in negotio religionis, ubi cum Deo & de salute animæ agendum est, non liceat fidem, cui quis semel addictus fuit, abnegare, atque aliam quamcumque rationem Deum colendi, ac de rebus divinis statuendi, amplecti,

271





(4)

plecti, nisi & de falsitate religionis antea in pretio habitæ sufficienter ac manifestè edoctus & convictus sit animus, atque illam alteram religionem esse reverà divinæ revelationi conformem, certam & salutarem, planè intelligat. Nempè fieri potest & fit sæpissimè, ut homines veræ religioni addicti in dubitationes de uno alterove capite doctrinæ Christianæ incidant: & ex *Dæmonum suggestione orientur apprehensiones, quæ sunt contra fidem*: quibus velut in camino ardente DEUS aliquando fideles probari permittit; ut loquitur ex ipsis Pontificiis Toletus in summa Cas. Consc. lib. IV. cap. IV. n. 3. p. m. 470. Velle autem propter unum alterumve scrupulum statim religionem, hætenus approbatam, deserere; aut vagò cursu oberrantem, aliam religionem quærere: ea quidem ad apostasiam atque hæresin compendiosa via erit, prout ibidem etiam docetur; aut fiet, quod Paulus scribit, *ut simus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum in astutia ad circumventionem erroris. Eph. IV. 14.* quò pertinet, quod Paulus Rom. XIV. 23. simpliciter pronunciat, *peccatum esse, quicquid non sit ex fide, five ex recta conscientia aut certa persuasione cordis*: adeoque hòc ipsò affirmat, peccatum esse, quoties homo à religione, de cujus falsitate non certò persuasus est, desciscit, & ad aliam, de cujus veritate, & omnium dogmatum cum divina revelatione, convenientia, non satis informatus, neque adeò certò persuasus est, accedit.

VII. Audiamus autem, quid à se factum, atque adeò suò exemplò aliis observandum tradat DN. Steno. Fateretur, se aliquandiu doctrinæ Lutheranae seriò addictum ac defensorem ejus contra Pontificios acrem fuisse. *Sæpius, inquit, plurium annorum intervallo mihi talia non querenti, quin potius declinanti, de religione varia differebant Catholici, quibus me acriter ubique opposui, quamdiu versionem Scripturæ à Luthe- ro propositam, & ejusdem institutiones Catecheticas pro puro & incorrupto Dei verbo habebam. Ep. de propr. Convers. p. 53.* Unde ergò dices, tantum mutatus hic est ab illo antiquo Stenone? Respondet ipse l. c. atque animi à religione Lutherana alienati



(5)

nati occasionem & causas indicat, quod videlicet 1. *philosophiæ Cartesianæ studium*. 2. *reliquorum in Belgio ad scripturas suas provocantium (diversarum sectarum hominum) multiplicitas atque dissidium*. 3. *Modus multorum vivendi politicus, ut dicitur, præjudicii illius vires sensim debilitaverint*. Et sic partim libertas, sive licentia, omnia, quæ hætenus didicerat Steno, in dubium vocandi; partim ignorantia veræ normæ & applicationis ejus legitimæ in tractandis fidei controversiis multiplicibus; partim denique fastidium vitæ civilis & studium majoris præ vulgo sanctitatis effecerunt, ne ille amplius pristinam de illis fidei persuasionem in se deprehenderet, licet patris institutis porro inhereret, eò quod studia naturalia & peregrinatio semper ipsum à cura religionis ad alias occupationes averterent: ut habent verbal. c.

VIII. At nos, dum ista audimus, equidem non repugnabimus Stenoni, quando Philosophiæ Cartesianæ studium sibi sacra meditati obfuisse queritur. Sicut enim non fert ratio præsentis instituti, ut eam ingrediamur disputationem: utrum Philosophia Cartesianæ ex se & naturâ suâ, an ex accidenti tantum, ac tum demum, cum in hominem infirmioris judicii, aut animi mobilioris incidit, perversam illam omnia in dubium vocandi, ipsamque fidei simplicitatem turbandi libidinem inferat? ita licet ea mens esse Dn. Stenonis videatur, ut Philosophiam istam suâ naturâ talem esse putet, quæ cultores suos ad ea, quæ fidei ac religionis sunt, meditando fortè accedentes, inextricabilibus dubitationum laqueis involvat, (quippe qui etiam l. c. sibi gratulatur & gratias agit DEO, quod à Cartesianæ Philosophiæ periculo ipsum liberaverit) patimur tamen eum ita sentire; sed miramur interim, ab illo tam arctam illius Philosophiæ cum religione Lutherana conjunctionem fingi, quasi qui huic adherent, istam simul omnes seu velint, seu jubeantur sequi; ac si quid absurdi aut periculi ex recentiore illa Philosophiâ oriatur, id ex ipsa religione Lutherana originem ducere, ideoque hanc æque atque illam cavendam esse, existimandum sit.

IX. Nam primum novit unâ nobiscum Steno  
A 3 ipsum



ipsum Philosophiæ istius parentem Cartesium, non Lutheran-  
Evangelicam, sed Pontificiam fidem publicè & constanter  
fuisse professum, ita ut natales illius Philosophiæ non apud  
nos, sed intra Romanæ Ecclesiæ pomeria quæri debeant.  
*Deinde* & quod ad rem ipsam attinet, certum est, religionem  
nostram non permittere cuiquam eam dubitandi libertatem,  
qualis vulgò Cartesianæ Philosophiæ adscribitur: sed quem-  
admodum Scripturam sacram esse ex divina inspiratione  
profectam, certumque & unicum principium credendorum  
omnes agnoscimus, neque de eo dubitari patimur; ita si quid  
in Scriptura determinatum, aut per modum conclusio-  
nis inde deductum deprehendimus, non audemus contra  
hiscere, aut assensum denegare, sive iudicium suspendere;  
sed quasi voce Dei auditâ acquiescimus, & si maximè ratio no-  
stra capere non possit, quod dicitur; tamen credimus, & *ca-*  
*ptivam ducimus omnem cogitationem nostram ad obediendum*  
*CHRISTO* juxta II. Cor. X. 5. Neque hæc ignorare poterat  
Steno in nostra Ecclesia natus & educatus, qui etiam libro-  
rum symbolicorum nostrarum Ecclesiarum, ac nominatim  
*Institutionum Catecheticarum B. Lutheri*, in quibus summa  
capita doctrinæ ab omnibus, qui nostri esse volunt, recipien-  
dæ habentur, etiam nunc meminit, ut antè audivimus.

X. Itaque non apparet, quò pacto Stenoni, occasio-  
ne Philosophiæ dubitatrix Cartesianæ, præcisè de religione  
Lutherana ac non potius de omni religione ac fide dubitatio  
æque subnasci potuerit: & quare, exspirante illâ dubitandi  
libidine, non ad ipsam fidem Lutheranam redeundum, sed  
Pontificiam amplectendam putaverit. Atque ipse Steno da-  
tâ operâ de his concisius atque obscurius loqui voluisse vide-  
tur, quippe diffidens firmitati argumenti, si quod sentiret,  
manifestius exponeret.

XI. Interim, & præsertim, quòd ille argumento à  
*Cartesiana Philosophia* petito statim alterum *de reliquorum in*  
*Belgio ad scripturas suas provocantium multiplicitate atque dis-*  
*sidio* adjungit, huc denique sermo redire videtur: quem-  
admodum Cartesius in tanto Philosophantium dissensu  
&



& quorum quisque se veritatem affecutum existimat, cum tamen unica veritas sit, nec sibi contraria; & ideo plerosque illos præjudiciis laborare atque erroneas opiniones pro vera scientia amplecti certum sit; inde ad se conversus, & præjudicia, quibus ipse hæctenus laboraverit, animò complectens, aliam ingrediendam esse viam & firmum aliquod fundamentum stabiliendum putaverit, cui superstruantur, quæ firmiter posthac sint mansura: Ita in tanta varietate ac dissensu religionum, quæ in orbe Christiano occurrunt, & quarum omnium assertores sese veritatem affecutos existimant, cum tamen non nisi penes unam partem veritas sit, & qui ab ea alieni sunt, hos omnes præjudiciis laborare atque erroneas opiniones pro vera ac cœlesti doctrina amplecti necesse sit; jam non apparere, quomodo homo Lutheranus de suæ religionis veritate certus esse possit, ac non potius metuere debeat, ne sua hæc fides æque parum nitatur divinâ revelatione, atque aliæ ab ea discrepantes, quarum itidem quælibet ad divinam revelationem & scripturas provocet; ut adeò de alia potius tutiore ac certiore via dispiciendum sit, quâ vera religio, quam alii à se inventam falsò existiment, reverà & sine formidine erroris teneri possit. Scilicet hoc est, quod l. c. pag. 54. scribit: *Subortis inde cum Luthero variis reformatibus inter se invicem pugnantibus quaritur; An in Ecclesia Romana, an verò in quadam reformatum Ecclesia, vera Christi Ecclesia reperienda? sanè ut omnes reformationes promiscuè admittendas nemo dixerit, quòd Spiritus veritatis contrariarum Ecclesiarum autor esse non possit, sic quænam reliquis præferenda sit, nemo invenit, cum nulli in ulla characteres existant probantes potius unam quàm alteram pro divina habendam, quòd doctrinæ puritatem omnes jactent, omnes ad scripturas sacras provocent, Ecclesiamque suam omnes Apostolicam dicant.*

XII. Atque ita quidem, quicquid sit de Cartesiana Philosophia; nobis nunc constat illud, quod supra diximus: Ignorantiam veræ Normæ & applicationis ejus legitimæ in tractandis fidei controversiis multiplicibus, Stenonem nostrum dubium primùm, deinde Apstatam fecisse. Nempe licet



§(8)§

licet negari non possit, postquam Ecclesia Christiana tot schismatibus distracta, & vera ac cœlestis doctrina tot contrariis erroribus, Satanæ & organorum ejus fraude in Orbem in-  
vectis, contaminata fuit, posse homini ista meditati, ne-  
que satis in fide instructo & obfirmato dubium suboriri de  
vera religione: propterea tamen non deest homini religioni  
Luthero-Evangelicæ addicto, unde animum ab ista dubita-  
tione liberum & tranquillum reddat, modò veram *contro-*  
*versiarum fidei* normam teneat, & illas ad hanc revocare no-  
verit.

XIII. Quod ut rectius intelligatur, probè observan-  
dum est, non tractari hœc locò à Stenone quæstionem de eo  
casu, quando homini de ipsa sacrarum Scripturarum *theo-*  
*logia* & auctoritate divina dubium suboritur, & quomodo  
ille à scrupulis suis liberandus atque ad certam cognitio-  
nem perducendus sit? Sed tantum de dubitatione hominis,  
Scripturarum originem & auctoritatem divinã agnoscentis,  
verùm occasione multiplicium sectarum dissidentium inter  
se, & tamen ad Scripturas suas æque provocantium, disqui-  
rentis, cujusnam Ecclesiæ doctrina sit illa, quæ Scripturis  
Sacris reverà nitatur, atque adeò pro vera ac divinitus revela-  
ta recipi ac teneri debeat? quas quidem quæstiones tantò dili-  
gentius distingui oportet, quanto frequentius eas Pontificii  
confundunt, ac fucum nobis facere conantur: quod, si opus  
esset, exemplis Keddii cum primis & Erbermanni facilè posset  
ostendi.

XIV. Itaque impræsentiarum jam omninò certum es-  
se debet, hœc ipsò, quòd doctrina hujus vel illius Ecclesiæ, quæ  
Christianam se profitetur, si vera & divinitus revelata sit, con-  
clusionis rationem habeat in ordine ad Scripturam Sacram,  
tanquam principium genuinum & proprium; non posse ali-  
am rationem aut modum investigandi veritatem illius re-  
ctius iniri, quàm ut illa ad Scripturam Sacram, velut ad  
principium adeoque & regulam, normam ac amissim revocetur,  
& agnitã utriusque conformitate recipiatur, secus  
autem rejiciatur: quemadmodum alias ad cognoscendam ve-  
rita-



ritatem cujuslibet conclusionis, quæ à principio quodam notiore per se pendet, non alia certior datur via, quàm ut illa ad hoc revocetur, ejusque ab eodem dependentia examinetur.

XV. Neque obstat certitudini viæ hujus, investigandi veram doctrinam cœlestem, quòd omnium Sectarum Christianæ religionis assertores ac Doctores æque ad Scripturas provocant. Aliud enim est, homines ad probandam certam doctrinam provocare ad Scripturas; aliud est, singulas illas doctrinas niti reverà Scripturis sacris tanquam principiò genuinò. Posterius falsum esse agnoscit ipse Steno, qui Spiritum veritatis contrariarum Ecclesiarum atque adeò & doctrinarum auctorem esse non posse, apertè fatetur l. c. Prius verò, licet admittatur, nihil tamen aliud probat, quàm abusum veræ normæ controversiarum fidei; & sufficit in præsentì, quòd eorum, qui falsò ad Scripturas provocant, error aut fraudulentia detegi potest, si sincera collatio doctrinæ ipsorum cum Canone Scripturæ instituat: quemadmodum, quando in foro humano utraque pars litigans ad leges provocat, tamen ratio investigandi, cujus causa justa sit, & cujus causa injusta; non alia est, quàm ut examinetur, quænam cum legibus conveniat, quæ non?

XVI. Fortè autem objiciet Steno; si maximè concesserit, veritatem Doctrinæ Christianæ in certa Ecclesia à convenientia ejusdem cum Scriptura Sacra per se dependere, in eo tamen superesse difficultatem, anne semper? & quomodo doctrina certæ Ecclesiæ cum Scriptura rectè conferri & convenientia, aut disconvenientia illarum deprehendi possit? videri enim ipsam experientiam docuisse, quòd in applicatione Scripturæ, tanquàm normæ, ad doctrinas normandas seu judicandas, facillimus fit lapsus; atque hoc ipsum etiam venire in quæstionem, annon Scriptura obscurior sit, quàm ut ex ea, quæ ad fidem pertinent, satis clarè cognosci possint? ut adeò hominem diversas doctrinas in orbe Christiano occurrentes spectantem, nihilominus dubium hæreret, ac de alia tutiore ac certiore via sollicitum esse oporteat.

B

XVII.



XVII. Sed tamen & huic Objectioni parata est respon-  
 sio. Et in primis quidem observandum est, rationem discernē-  
 di doctrinam veram & oppositos errores, quantum ad præ-  
 sens attinet, *duplicem esse: alteram*, quando & doctrina vera  
 & oppositi errores, non solum secundum se distinctè cogno-  
 scuntur, verum etiam norma ipsa sive Scriptura sacra in tex-  
 tu authentico lecta & intellecta, ita illis applicatur, ut quæ ab  
 utraque parte ex Scripturis petuntur rationes & necuntur  
 consequentiæ, accuratè inspiciantur, quæque pro vera do-  
 ctrina militant argumenta ab exceptionibus partis adversæ  
 liberentur, hujus verò rationes in contrarium allatæ solvan-  
 tur, atque adeò refutentur: *alteram*, quando vera quidem  
 doctrina, quantum ad salutem creditu necessarium est, ex  
 locis Scripturæ manifestis agnoscitur, adeoque propter suam  
 cum his conformitatem clarè cognitam indubitato assensu  
 recipitur; errores verò, qui eidem repugnant, simpli-  
 citer excluduntur, eò quod cum veritate agnita non conve-  
 niunt, licet argumenta, quæ pro colorandis illis adduci so-  
 lent, vel nondum satis examinata & refutata, vel ne quidem  
 distinctè cognita fuerint. *Prior ratio* exquisitior & accura-  
 tior est, ejusque capaces sunt, qui adminiculis interpretan-  
 di Scripturam & tractandi controversias instructi ad examen  
 dogmatum oppositorum accedunt; licet alii rudiores ad eam  
 ineundam impares sint. *Posterior ratio*, etsi non æque ex-  
 quisita sit, tamen sufficere potest homini de sua fide & salu-  
 te sollicito atque intra religionum divortia constituto, ut ve-  
 ram teneat fidem & errores cum fide pugnantes fugiat: prout  
 jam olim Orthodoxi plurimi, exortò certamine Ariano, veram  
 doctrinam de Divinitate Christi, juxta Scripturas retinue-  
 runt, & sententiam Arianam illi, adeoque & Scripturis, repu-  
 gnantem rejecerunt, licet subtiliores disputationes ingredi  
 neque vellent neque possent. *Vid. Socr. L. I. c. VI. & Euseb.  
 III. de Vit. Const. c. LXV. Athan. Epist. contra heret. ad Epist.*  
 Atque aliàs eum morem Christianorū fuisse, ut auditò sermo-  
 ne, fidei Catholicæ repugnante, aures obturarent, vel etiam

au





aufugerent; constat ex *Ireneo Lib. III. c. IV.* & *apud Euseb. lib. V. Histor. Eccl. c. XX. Clement. Alex. Lib. II. Recognit. Hieronym. denique lib. I. adv. Ruffinum.*

XVIII. Neque est, quòd Scripturarum obscuritas hìc objiciatur. *Sive* enim dicatur ea ex ipsa Scripturarum lectione abs quovis homine deprehendi; *sive* ideò, quòd Pontificii Scripturas obscuras dicunt, etiam aliis eas obscuras posse videri putetur, ut eas tanquam normam ad dijudicandas controversias applicare nesciant; *sive* obscuritas illa patere credatur ex eo, quòd multos doctosque Scripturarum interpretes & controversiarum tractatores vel hoc ipso, quod tantoperè inter se dissentiunt, maximam partem lapsos & Scripturarum normam malè usos esse constat: nihil tamen horum reverà evincit, Scripturas ita esse obscuras, ut ex ortis diversis religionibus aut doctrinis non possit homo de vera fide sollicitus inter hanc & oppositos errores ferre iudicium. Nam quod ad *primum* attinet, certum potius est, Scripturam quoad ea, quæ sive creditu sive factu fidelibus omnibus necessaria sunt, præsertim in iis locis, ubi ex professo de quolibet dogmate agit, claram & perspicuam, ut, quem sensum verba habeant, facilè ab omnibus intelligi possit: sicut etiam *Augustinus lib. II. de Doctr. Christ. c. IX.* scripsit: *In iis, quæ aperte in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi.* Ac licet aliàs in nonnullis locis obscura sit Scriptura, quatenus tamen homini necesse est discernere circa ea, quæ ad fidem pertinent, inter veram doctrinam & errores exitiosos, eatenus non est obscura, sed tanquam norma facilè applicari potest ad dijudicandum verum & falsum. Quò pertinet, quòd Scriptura comparatur *lucernæ*, *Psal. CXIX. 105.* & *II Pet. I. 19.* nempe eò sensu, quòd homini veram viam salutis ingressuro & ab errorum deviis abstrahendo præluceat. Et sic, quod ad *secundum* & *tertium* attinet, jam nulla superest difficultas. Quando enim certum est, Scripturam non esse quoad res fidei necessariò cognoscendas obscuram; nulla ratio est, quam ob rem Pontificiorum opinio aut præiudicium, plus quam ipsi-



ipſius Scripturæ aſſertiones valere debeant, præſertim apud hominem, qui ſacra Pontificia nondum ſuſcepit, atque alteri puriori doctrinæ hæcenus addictus fuit. Imò conſtat etiam, Pontificios tunc demùm Scripturam obſcuritatis accuſare, cœpiſſe, cùm ſuperiore ſeculò à Luthero aliisque ex Scriptura impugnantur, & erroris convincerentur; & ex ipſis Pontificiis *Albertus Pighius lib. I. Eccleſ. Hierarch. c. IV.* arcannum iſtud gentis ſuæ prodit: *Si huius, inquit, doctrina memores fuiſſemus, hæreticos ſcilicet non eſſe informandos vel convincendos ex ſcripturis, meliore ſanè locò eſſent res noſtra. Sed dum oſtentandi ingenii & eruditionis gratiâ cum Luthero incertamen descenditur ſcripturarum, excitatum eſt hoc, quod, probdolor! nunc videmus incendium.* Quòd autem aliàs tam multi variarum ſectarum Doctores in interpretandis dictis Scripturæ maximè inſignibus errarunt, non tamen ideò cauſa in ipſa Scriptura, quaſi quæ nimis obſcura ſit, quaeri debet: ſed potiùs exiſtimandum eſt, lapſus illos vel ex ſtudio partium, vel ex præconceptis falſis opinionibus, vel ex malitia voluntatis ipſorum hominum originem ducere: quemadmodum qui in foro cauſam agit, eamque legibus conformem eſſe ſemel clarè cognovit; non propterea, quòd pars adverſa contradicit, ipſe ſuæ cauſæ diffidit, aut leges obſcuras eſſe itidem affirmat; ſed adverſarium præiudicio laborare, vel datâ operâ obſcurare, quæ manifeſta ſunt; aut tenebras ſoli, quòd dicitur, offundere perſuaſus eſt.

XIX. Dn. Stenonem verò non mirum eſt, deſertâ orthodoxâ doctrinâ, in errorem fuiſſe lapſum & ad Pontificiorum caſtra deſciſſe; quippe qui dubitatione ſibi fortè obortâ de vera fide & religione inter tot ſectas diſſidentes ſecure tenenda, non ad veram normam controverſiarum fidei acceſſit, eamque ad dogmata diſcrepantia applicavit; ſed, eâ neglectâ, doctrinas diſcrepantes ipſas inter ſe, imò non tam doctrinas, quàm doctrinæ præcones atque Eccleſias ipſi addictas inter ſe comparavit, & characteres peculiare quaſivit, prout dictum eſt ſuprà, & infra prolixius dicitur.

XX.



XX. Interim videtur ille hâc viâ eodem tendere, quò non ignoti nominis Jesuita, *Jodocus Keddius*, artes suas convertit, cum postularet à nostratibus, ut ad demonstranda dogmata sua semper afferrent *peculiare fundamentum*, quò nulla alia secta ad falsas suas doctrinas tuendas uti possit. Nos se autem eundem oportebat, quod Keddius quidem nihil aliud tunc egerit, quam ut, more recepto Sophistarum Pontificiorum, Scripturam S. è manibus nostris callidè extorquere, aut viam defendendi doctrinam Orthodoxam, & Pontificia figmenta impugnandi, intercludere laboraret; rem expeditam fore existimans, si evicerit: Lutheranis, de fide ac religione itemque Ecclesiæ suæ veritate disputantibus, peculiari fundamentò opus esse, unde præ aliis falsis Ecclesiis aliquid obtineant, & se meliores ostendant; scripturam verò, ad quam omnes partes litigantes provocent, non posse pro peculiari fundamentò haberi, adeoque non posse Lutheranos, utiliter quidem & cum successu, uti Scripturis adversus adversarios suos, imprimis Pontificios &c. quas tamen fraudes egregiè detexit, atque illud Jesuitæ postulatum *illegitimum, iniquum, absurdum, ac tale esse*, quod cum ipsarum rerum natura pugnet: accuratissimè ostendit Max. Rev. Dn. D. Musæus, in *der Bertheidigung des unbeweglichen Grundes etc.* contra Jodocum Kedden/ Anno 1654. vid. imprimis P. II. c. IX. & X. pag. 186. seqq. Quibus, si quid habet, quod opponat Dn. Steno, non denegabitur ei à nobis decens responsio.

XXI. Sed ut ad *tertium* motivum *Stenonia*, sive animi ejus à paterna religione abalienati & ad Pontificiam inclinati, accedamus; repetenda est, quam semel audivimus, querela illius *de modo multorum* (Lutheranorum) *vivendi Politico*, cui accedunt, quæ *de vitiosa politicorum prudentia* addit, contra quam ipsum *Deus de sua providentia securum esse voluerit, ac docuerit, non semper in oculis Dei reum esse, quem hominum judicia condemnant, ad rumores hominum tanto faciliùs spernendos*: quodque hoc etiam inter *media* illa refert, quibus ipsum *Deus utut reluctantem ad se invitaverit.* Atque hæc



quidem verba videri possunt hunc habere sensum, quod mores Lutheranorum minùs religiosi ac sancti, & humanos potiùs oculos aut iudicia quàm Deum ipsum spectantes (cujus indolis homines nonnunquam *Politici* appellantur) persuaserint ei, similem moribus illis esse doctrinam, id est peruersam atque corruptam; & quod ex aduerso ex sanctioribus hominum Pontificiorum moribus doctrinam etiam Pontificiam, similiter puram ac sinceram sanctamque esse iudicaverit. Quò referri potest, quod subjicit: *Multum apud me valuit vita quorundam amicorum Catholicorum, cui similem nec Philosophi promittunt, nec apud amicos aliarum religionum observaveram.* Quòd autem porrò dicit, *se jam tum agnovisse, quando de veritate doctrinæ agitur, ad hominum eandem doctrinam profitentium vel ignorantiam vel malitiam non esse attendendum:* id potius indicat, habuisse Stenonem, unde priorem illam, de religione pristina deserenda, & amplectenda Pontificiam, cogitationem reprimeret. Utique enim fatendum est, eum, qui jam novit, non esse attendendum ad malitiam hominum, certam doctrinam profitentium, quando de veritate ejus doctrinæ agitur, non posse sibi constare, si nihilominus, spectatâ sociorum suæ religionis malitiâ, ideò hanc deserere, & doctrinam eorum, qui minùs mali & magis sancti videntur, hòc ipsò, quòd tales cultores habet, tanquam divinam fuscipere velit: ita enim attendet & sequetur, quod sequendum & attendendum ipse negat.

XXII. At nos equidem nolumus arguere Dn. Stenonem, quasi argumentum ex vita Lutheranorum minùs sancta, & Pontificiorum moribus sanctioribus petitum tanti valoris esse putaverit, ut ideò relictâ religione Lutherana ad Pontificiam remis velisque contenderet: quia tamen fatetur, *illud multum apud se valuisse*, adeoque saltem opinionem aliquam aut præjudicium de doctrinæ Pontificiæ præ Lutherana sibi injecisse tunc, *cum serium religionis examen ipsi nondum permitteret rerum naturalium studium, cui totum se immerferat:* dolemus potiùs vicem viri cætera eruditi ac prudentis, qui seri-  
um



um religionis examen tam diu distulit, ac præjudicio, cui corrigendo aut ex animo ejiciendo facile par esse poterat, tantum indulfit, ut illud inter *media* numeraret, quibus ipsum *Deus* utut *reluctantem* ad se invitaverit.

XXIII. Prius verò, quàm lapsus hunc Dn. Stenonis plenius ostendamus, audiemus, quæ is porrò memorat, ut doceat, quâ viâ ipsum, à serio religionis examine tam diu abstinentem, denique divina misericordia à reliquis studiis ad studium salutis inopinatò pertraxerit. De religione, ait, varia mihi disseruerat vitæ sanctimonia conspicua Nobilis Matrona, cui quærenti, an sentirem quoddam in me religionis Catholice velleve desiderium? Respondi: me quidem in Catholicis multa observasse, quæ non mihi displicebant, & in Lutheranis quædam notasse, quæ non placebant, nihil tamen hæcenus vidisse, quod cogeret ad recedendum à religione, cui me natiuitas & patria obstrinxerant. Ad quæ verba magnò & verè Christianò zelò impulsâ illa Dei ancilla exclamavit: O si sanguis meus sufficeret ad necessitatem illam tibi demonstrandam, testor Deum, me vel hòc momentò vitam pro tua salute daturam. Commotus hòc non expectato Christianæ charitatis argumentò, respondi, me nec dum similem Dei & proximi amorem in ullo observasse, imò agnoscere me, quòd hæcenus aliis studiis majori cum attentione insudaverim, quàm salutem propriam, & spondere ex hoc momento serium religionis examen. Quò sine illicò ab amicis petitos libros non catholicos modò, sed & alios, ut Centuriatores Magdeburgenses aliosque varios legendos suscepi, singulis diebus matutinas horas ferè omnes illi inquisitioni impendens.

XXIV. Itaque jam iterum clariùs apparet, quibus gradibus ille ad amplectendam religionem Pontificiam pervenerit. Erat ei animus seculari scientiâ atque arte pridem instructus, in sacris autem meditationibus & examine religionis aut doctrinæ fidei juxta genuinam Scripturarum normam instituendo nondum seriò versatus; & tamen audebat ille jam tunc cum Romano-Catholicis de religione non unâ vice disputare, ita ut simul ei multa in illis placere, quædam verò in Lutheranis displicere inciperent: inclinato ita ante serium religio-

gio-



gionis examen ad Pontificiam religionem animo, supererat, ut videret, anne præsto esset, quod *cogeret ad recedendum à religione, cui ipsum natiuitas & patria obstrinxerant?* atque ad tale examen denique accedebat Steno, cum singulari *argumento charitatis* erga se, atque adeo sanctitatis *matronæ nobilis Romano-Catholicæ commoveretur.* Quis ergo miraretur, virum alioqui eruditum, in hoc tamen examine succubuisse, quod ille tot præiudiciis occupatus subiit?

XXV. Sed ut priora, de quibus jam supra nonnihil vidimus, nunc transeamus: quod ad *sanctitatem* Romano-Catholicorum attinet, imprimis observandum erat Stenoni in bivio constituto; si propterea ad suscipienda eorum sacra accedendum videatur, quidni eadem facilitate ad Socinianismum accessus pateat, quando certum est, ac procul dubio Stenoni, cum Belgium incolet, satis innotuit; gentem Socinianam præ cæteris rigidè sectari & urgere non solum externam vitæ puritatem, verum totius veteris Decalogi, & sic etiam charitatis proximo debitæ, imò & præceptorum novæ legis, quam vocant, accuratam observantiam. Quibus addi poterat, quod Salvianus Lib. V. de Gubern. Dei fatetur Wandalos & Gothos Arianos *comparatione vitæ præstitisse Catholicis* istius temporis; unde tamen nemini licebat doctrinam Arianam præferre doctrinæ Catholicorum. Neque enim repugnat, honestis vitæ ac morum præceptis, quæ lex naturæ mentibus humanis implantata suppeditat, vel alias morum doctrinas, quæ singularis sanctitatis speciem habeant, & quarum adeo observatores humanò iudiciò præ cæteris sancti videantur; vel etiam peculiaria fidei dogmata ab hominibus superaddi: utraque quidem, quasi à Deo essent profecta per specialem revelationem, cum tamen utraque humano ingenio originem suam debeant.

XXVI. Porro autem etiam istud agnoscere poterat ac debebat Dn. Steno, non esse tantam Pontificiorum sanctitatem, quanta homini serium religionis examen nondum ingresso fortè videatur. Quamvis enim nolimus asserere, nullos





los omninò in cœtibus Pontificiorum superesse verè fideles & sanctos; ex adverso tamen certum est (1) eam sanctitatem, quâ Pontificii præcipuè superbiunt, in externa potius ac speciosa rituum ecclesiasticorum aut operum electitiorum observatione, quàm in actibus, qui per se ad cultum Dei & ad charitatem Dei vel proximi pertinent, consistere, quod infra suo loco distinctius monstrabimus. (2) Etiam si actus quidam dilectionis Dei aut proximi, quoad substantiam actus, ut vulgò loquuntur, rectè ab illis fiant, tamen persuasione illam meriti & satisfactionis, Deo per opera sanctitatis præstandæ, adeoque superbiam quandam Pharisaicam operantium, in Papatu admodum receptam, contaminare potius homines, & operum illorum bonitatem & gloriam destruerent. (3) Corruptelas doctrinæ Decalogi, (quem, certum est, regulam esse debere Christianæ sanctitatis) quoad utramque tabulam sub Papatu invecetas ac strenuè usque adhuc defensas non posse non inferre simul impedimenta acquirendæ sanctitatis apud illos, qui eas approbant & recipiunt; ita ut per accidens solum fiat, si qui homines in cœtibus Pontificiis ad veram sanctitatem pertingant; scilicet non, quòd doctrina Ecclesiæ Romanæ propria illos eò perducere possit, sed quòd illi per Dei gratiam inter verum & falsum, pretiosum & vile quodammodo distinguere, & à corruptelis istis sibi in tantum cavere possint, ne fide & sanctitate christiana omninò careant. Quam in rem videantur, quæ accurate differuit *Dn. D. Musæus Tract. de Ecclesia. P. I. Disput. VI. §. LXXXII. seqq. pag. 343. seqq.* Taceo dispensationes Pontificias, indulgentias & Taxam Pœnitentiariæ sacræ, unde hominibus fenestra potius aut janua ad diversi generis peccata aperitur, quàm ut ad sinceræ sanctitatis studium perducantur.

XXVII. Denique non est, cur matronæ illius nobilis externam charitatis contestationem (cujus animum DEUS novit) tantoperè in opprobrium nostræ Ecclesiæ, quasi quæ sterilis sit bonæ frugis, extollat. Quod si enim producenda

C

fo-



forent exempla virtutum in nostra Ecclesia nata, quàm facile posset prolixior historia scribi! Et quid est illa *regina* matronæ nobilis Pontificiæ, si spectes stupenda charitatis in Deum pariter & proximum documenta vel in solis Saxonix Electoribus, Friderico Sapiente, Johanne Constante, Johanne Friderico Magnanimo, & Marchione Brandenburgico Georgio, aliisque ejus temporis Principibus Protestantibus, quos pro gloria Dei & verbi ejus tot pericula, adversitates, carceres etiam, mortisque minas sprevisse, & quasi oblitos terrarum, mentes ad Deum erectas retinuisse, atque ipso opere pietatem suam in Deum, & sollicitudinem de salute æterna subditorum declarasse, nisi adversus Solem loqui velit, negare non poterit Dn. Steno. Atque hæc potius exempla, (nisi quæ oculis præsens videbat, aut coram auribus audiebat, ut ut ex se viliora, tamen potiora ducere voluisset,) confirmare animum in religione nutantem & ad ejus fundamenta penitius inspicienda hortari, ac simul ab amore inconsulto oppositæ religionis Pontificiæ abstrahere poterant ac debebant.

XXVIII. Vidimus initia defectionis Stenonianæ, nunc quomodo ille ad *serium*, quod vocat, *examen religionis* accesserit, in eoque se gesserit, contemplabimur. *Petuisse se, dicit ab amicis libros, non catholicos modo, sed & alios, ut Centuriatores Magdeburgenses, aliosque varios, atque hos serio legendos suscepisse, ita ut singulis diebus matutinas horas ferè omnes illi inquisitioni impenderet.* Scripturarum mentionem non facit, fortè ideò, quod occupatus præjudicio antè indicato de multiplicibus sectis ad Scripturam provocantibus; jam non amplius oculis suis fidendum esse, aut verum sensum se assequi posse credidit, etsi vel maximè illic aliquid expressum legerit. Dicit etiam *varios* libros, catholicis oppositos, se legisse, nec tamen nisi *Centuriatores Magdeburgenses* nominatim exprimit, quos constat, non tam controversias sacras, examinatis juxta scripturas dogmatibus & argumentis Pontificiorum, quàm Historiam sacram ex professo tractasse. Sed nimirum ille coram antiquitatis tribunali causam religionis jam agendam pu-



putavit, quia certam Scripturarum sententiam se ex ipsis Scripturis audire posse desperaverat. Cumque ampliorem illam magisque intricatam rationem tractandi controversias sacras præ hac simpliciore & compendiosiore ingressus esset, attamen citius, sed cum certiore suo damno, negotium absolvit, quam exspectari poterat. Ita enim pergit: *Et licet illicò rationes mox subjiciendæ mihi sese offerrent, tantis tamq̃, variis sollicitudinibus distrahebatur animus, catenis tenebrarum implicatus, ut sui quasi impos infelicitatis suæ terminum non inveniret, donec festo omnium piè defunctorum circa vesperam tot simul & argumenta concurrerent, & circumstantiæ, ut tandem manifestò agnoscens me prehensis manibus à Deo ad Ecclesiam suam perductum, confiteri tenerer; Dirupisti vincula mea Domine.* Rationes ipsas, quæ se Stenoni obtulerint, suo ordine mox excutiemus, dum interea solùm notanda venit lucta illa, quam in se etiam tunc sensit, cum ad Pontificiam religionem non parùm inclinatus, tamen *animum suum variis sollicitudinibus distractum* videret. Procul dubio enim verior illa doctrina, quam pridem ex Scripturis in Ecclesia Patria hauserat, & memoria hætenùs tenuerat Steno, contrariis erroribus nunc tandem amplectendis repugnabat, ac poterat eum è præcipitio retrahere: Ille verò in itò isto certamine, veræ normæ oblitus, & amore Ecclesiæ Pontificiæ fascinatus, vocem illam Spiritus S. monitoriam quasi aliquas tenebrarum catenas, quibus implicaretur, excutere nitebatur; cumque non inveniret, unde animum suum, puriore doctrina antè imbutum, suscepta aliâ religione, tranquillum redderet, ipse sui ignarus animum suum, sui quasi impotem, infelicitatis suæ terminum non invenire putabat, atque ita denique nodum, quem solvere non poterat, ita diffecabat, ut multis *argumentis & circumstantiis circa vesperam festi omnium piè defunctorum concurrentibus*, (sed quæ non tam pondere quam numero valebant, neque veram Dei revelationem exhibebant,) infelix Steno sibi videretur *manifestò agnoscere, se prehensis manibus à Deo ad Ecclesiam suam perductum, ac confiteri teneri, dirupisti vincula mea Domine;*



(20)

ne; qui potius cum dilectionem veritatis non recepisset, in hoc ut salvus fieret, deceptus fuit efficaciam illusionis, ut crederet mendacio, quippe nolens credere veritati, sed approbans injustitiam, juxta illud Pauli II. *Thess.* II. II. 12. atque ita non ad Ecclesiam veram, sed, desertam veram Ecclesiam, ad falsam accessit, neque de ruptis à Domino vinculis suis sibi gratulari debuit, quam ipse rupit vincula Jehovæ & Christi ejus, & projecit à se funes eorum; secundum *Psal.* II. v. 3.

XXIX. Audiemus ergo differentem porro & rationes doctrinas suæ distinctius exponentem Stenonem. Argumenta autem, ait ille, quæ me maxime urgebant tunc temporis erant sequentia: Extitisse aliquando in Ecclesia Romana veram Christi Ecclesiam, extra controversiam est, nec insiciari licet, habuisse majores nostros, cum Gentiles essent, à Romanis & doctrinam fidei & doctores, adeoque obedientiam & fidelitatis juramentum Pontifici Romano præstitisse, quo illos juramento absque divina autoritate nemo solvere poterat. Fatentur insuper omnes ad Lutheri usque tempora cum spe vitæ æternæ mortuos, qui in Ecclesia Romana piè moriebantur. At subortis inde cum Luthero variis reformato-ribus inter se invicem pugnantibus, queritur an in Ecclesia Romana, an vero in quadam reformatorum Ecclesia, vera Christi Ecclesia reperienda? Sanè ut omnes reformationes promiscuè admittendas nemo dixerit, quòd Spiritus veritatis contrariarum Ecclesiarum autor esse non possit, sic quænam reliquis præferenda sit, nemo invenit, cum nulli in ulla characteres extent probantes potius unam quam alteram pro divina habendam, quod doctrinæ puritatem omnes jactent, omnes ad Scripturas Sacras provocent, Ecclesiamque suam omnes Apostolicam dicant. Si à quolibet Scripturarum suarum autoritatem exigis ratione traditionis, nullos alios sibi eas porrigentes afferre possunt, quam quos ipsi damnant; Si versio-num varietatem legitimam probandam urges, nihil habent, quod afferant, præter autores reformationum: Si quæris unde doctrinæ Catecheticae & Sacramentorum Praxis in qualibet Ecclesia? Licet omnes Apostolica sua esse dicant, nemo tamen ullam, non dico Ecclesiam, sed ne ullum quidem hominem nominare poterit, unde sue refor-  
ma-



mationis autor illam sacramentorum praxin illamq; doctrinam Catechetica[m] acceperit, quæ in ista Societate pro Apostolicis habentur: Tandemque aliud nihil afferunt, nisi illud omnibus commune: Scripturas lege, & nos veros agnosces, & sic omnia reducuntur ad hanc unicam questionem; Inter varias locorum indeterminatorum in Scriptura determinaciones, quanam pro divina habenda, Lutherine, an Calvini, alteriusve reformationum autoris, vel mea, an verò illa, quam majores nostri pro divina habuerunt ante Lutheri tempora, utpote tot SS. Patrum testimoniis, tot Martyrum sanguine confirmatam idque in Ecclesia, per quam Deus eosdem majores nostros à Paganismo ad Evangelium convertit? Hactenus ille argumenta sua exposuit; nunc sequentem addit Epilogum: His ego, ait, omnibus excussis, conclusi, nullum è reformato[r]ibus sequendum esse, cum eorum nemo divinam reformationis suæ autoritatem afferre possit, ad eam verò Ecclesiam redeundum esse, cui majores nostri conversionem suam debent, à qua reliquæ omnes Ecclesiæ exierunt, quæ sola sese Apostolicam probat, aliisque characteribus fulget Dei presentiam supernaturalem arguentibus, in qua ego Ecclesia jam tum illa sanctitatis argumenta viderem, quæ in nulla aliarum Ecclesiarum promittuntur ne dum reperiuntur.

XXX. Hic igitur jam illud apparet, quod supra §. XIX. diximus, DN. Stenonem inter diversas religiones fluctuantem, atque ubi tandem pedem figeret, quarentem, non tam discrepantes doctrinas ad unam veram ac certam Scripturæ normam à seipso revocandas, sed cujuslibet doctrinæ præcones præcipuos atque Ecclesias illis addictas cum aliis aliarum doctrinarum præconibus ipsisque Ecclesiis comparandos credidisse. Quò pertinet, atque hanc sententiam declarat, quod sub finem *Scrutinii Reformatorum*, quod vocat, pag. 50. docuit; *Omnes de doctrina questiones ad hasce duas reduci. I. Unde constat hanc propositionem hoc sensu sumptam esse Catholicam? II. Unde probatur, hanc propositionem hoc sensu sumptam esse purum Dei verbum, quando in SS. non legitur expressis verbis? Ubi Catholicus, addit, non sibi, non huic vel illi interpreti credit,*



dit, sed Ecclesie, id est, Deo loquenti per viros legitimam missionem probantes, & maximam partem vel vite sanctitate, vel operum miraculis, vel morte gloriosâ vel omnibus simul conspicuos, quales sunt illi, ex quorum consensu probamus, nostros fidei articulos esse verbum Dei sive scriptum determinatè sive indeterminatè scriptum, sed determinatè traditum, sive tantum traditum. Et in Epistola de methodo convincendi A catholicum &c. p. 18. Agitur inter nos, cui in rebus fidei credendum an verbo Dei, prout in Sacra Scriptura legitur, absque ullius, vel Scripturam nobis tradentis, vel eandem nobis interpretantis autoritate, an verò credendum Verbo Dei à societate fide digna nobis proposito simul & exposito. Item in Ep. de Interprete S. Scriptura &c. pag. 3. hanc Patrum antiquorum thesin, cui & ipse subscribat, ponit: Scripturam quidem per Scripturam explicandam esse, quando id fieri poterit, sed nec omnem Scripturam per Scripturas explicari posse, nec cujuslibet esse hæc Scripturam interpretandi vias privatim inquirere sed cuilibet fidelium veram Scripturae interpretationem ab Ecclesia Dei potendam esse.

XXXI. At nobis equidem non ignota est ista Helena, pro qua Pontificii hætenus tantoperè dimicârunt; miramur autem, hanc eandem hypothesein CL. Stenoni adeò placere potuisse, ut propterea ipse ad Pontificiam religionem demum accederet. Nam (1.) illud omninò fixum ac firmum manet, quod supra §. XIII. & seqq. diximus, in eo casu, ubi quaestio est non de ipsius Scripturae S. θεοπνευσία & veritate, sed de doctrinis diversarum Ecclesiarum, quæ Scripturam omnes receperunt; sicut non disputatur de principio veræ fidei, sed de his, quæ pro conclusionibus ex isto principio pendentibus venditantur; ita non posse rectè, nec debere aliam normam illas dijudicandi vel quæri vel admitti, quàm Scripturam ipsam. Nempè, ut nunc quædam majoris perspicuitatis causa adjiciamus: nullius certæ Ecclesie, quæ se Christianam dicit, doctrina vera ac divina esse potest, nisi per hoc quòd Scripturae Sacrae conformis est; seu quòd DEUS, qui Scripturae S. auctor est, hoc ipso etiam est ac censeretur auctor



(23)

ctor doctrinæ illius, quæ ex Scriptura Sacra, velut consequens  
necessarium ex antecedente, pendet. Ita verò jam porro con-  
stat, ad dignoscendam certæ doctrinæ hujus aut illius Eccle-  
siæ veritatem non aliam iniri posse rationem, quàm ut ejus, à  
Scriptura dependentia, & cum ea conformitas investi-  
gatur. Quippe ipsa rerum natura, atque adeò DEUS naturæ  
auctor jubet, ut, cum veritas alicujus conclusionis ex princi-  
piis prioribus ac notioribus per se pendet; eadem, non  
quæsita normâ alia ac peregrinâ, omninò admittatur, quan-  
do ea ex principiis aut præmissis, quarum veritas agnita  
est, per se ac necessariò fluit.

XXXII. Quod autem (2) ad auctoritatem *societatis verbum  
Dei proponentis* attinet, planè inconsultum & imprudens est,  
velle illam pro norma exponendi seu interpretandi Verbum  
Dei, & dijudicandi doctrinas diversarum Ecclesiarum ad  
Scripturam provocantium amplecti. Etsi enim inter cate-  
ra, quæ Scholastici vocant, signa & motiva credibilitatis et-  
iam auctoritas Ecclesiæ locum habeat; & sicut illa omnia,  
ita & hæc ad Scripturæ *θεοπρωσια*, homini Scripturæ origi-  
nem nondum agnoscenti credibilem reddendam, rectè ad-  
hibeatur: quando tamen Scripturæ *θεοπρωσια* jam agnosci-  
tur aut supponitur; non amplius æquè conducunt, neque  
immediatè applicari possunt signa illa credibilitatis & spe-  
ciatim auctoritas Ecclesiæ, ad agnoscendam aut ostenden-  
dam veritatem dogmatum in certa Ecclesia receptorum.  
Nam quemadmodum in foro lites diversarum partium, qua-  
rum quælibet ad leges provocat, non deciduntur per argu-  
menta, quibus legum auctoritas probatur, quam partes liti-  
gantes jam admittunt; sed causæ utriusque partis justitia  
vel injustitia ex ipsa demum collatione cum legibus inno-  
scit; ita homo fluctuans inter diversas religiones, quarum  
quælibet pro Christiana venditatur, admittens autem Scri-  
pturæ divinitatem atque infallibilem veritatem, neququam  
ex fluctibus dubitationum emerget, adhibitis illis signis cre-  
dibilitatis, quibus nihil nisi Scripturæ divina origo eviden-  
ter



(24) 50

ter credibilis redditur; sed porro fluctuabit & dubitabit, quænam doctrina ex pluribus dissidentibus sit illa, quæ revera continetur in Scripturis? donec quæ cum Scripturis, instar conclusionum cum principio genuino, conveniat,prehenderit.

XXXIII. Quodsi verò (3.) his neglectis, signa illa credibilitatis & speciatim auctoritas Ecclesiæ, immediatè applicetur ad doctrinas diversarum Ecclesiarum Scripturas tanquam verbum Dei amplectentium; ita fanè non tam fenestra quàm porta aperietur gravissimis erroribus, loco veræ & salutaris doctrinæ in orbem Christianum invehendis & humano generi persuadendis: prout ex ipsis Pontificiis *Tannerus Disp. 1. de fide. P. II. Dub. V.* factus est, humana commenta per signa & motiva credibilitatis æquè credibiles aut credibiliores etiam reddi posse, quàm veras doctrinas: atque ipsa Scriptura docuit, fore aliquando tempora, ubi, Deo permitte, multi admodum homines, operâ seductorum, signa & motiva credibilitatis jactantium, à vera & cœlesti doctrina in gravissimos errores deducantur. *Matth. XXIV. & II. Thess. II.* Confer *DN. D. Musæi Tract. de Eccles. P. I. Disp. IX. num. XCI. seqq. pag. 584. seqq.* & nostram *Disputationem contra Erbermanni Dialogum inter DN. D. Musæum & Philosophum Sinesem s. XXV. seqq. pag. 21. seqq.* Nolumus enim, quæ jam aliàs satis dicta ac declarata sunt, h. d. tædiosè repetere.

XXXIV. Fortè autem hîc excipiet Steno, se non attendisse, nec jussisse attendere signis illis credibilitatis atque auctoritati Ecclesiæ, neglectâ revelatione divinâ in Scripturis S. contenta; sed tantum in investigatione *veræ determinationis locorum in Scriptura indeterminatorum*, ut habent verba pag. 53. sive, ut dicitur pag. 50. in evolvenda quæstione: *Unde probetur, hanc propositionem hoc sensu sumptam esse purum Dei verbum, quando in S. S. non legitur expressis verbis? judicasse ipsum, non sibi, non huic vel illi interpreti, credendum esse, sed Ecclesiæ, id est, Deo loquenti per viros legitimam missionem probantes &c. nempe, quia non sit cujuslibet, veras Scripturam inter-*



terpretandi vias privatim inquirere, sed cuilibet fidelium vera scripturae interpretatio ab Ecclesia Dei petenda sit: juxta verba pag. 3.

XXXV. Sed hæc omnia produnt potius malam causam Pontificiorum, quàm ut eam meliorem reddant. Sicut enim hætenus ostendimus, signa credibilitatis non esse immediatè applicanda ad normandas doctrinas diversarum Ecclesiarum: ita nunc ipse DN. Steno ostendit, se velle, ut ista ad has immediatè applicentur, idque putare omninò esse necessarium. Quando enim docet, homini fluctuanti inter diversas religiones Ecclesiarum schismate distractarum, ut sciat tandem, quænam doctrina, quando verbis expressis in Scriptura non legitur, tamen implicitè & per consequentiam in ea contineatur atque eatenus sit purum Dei verbum? necessarium esse, ut videat; quinam sint qui eam amplectantur & proponant? & an præ cæteris, discrepantes doctrinas amplectentibus, emineant, ac missionem suam legitimam, facilius possint probare &c.? jam utique ratio normandi doctrinas controversas juxta illum huc redit: Quæcunque Doctrina proponitur à societate fide digna & viris legitimam missionem probantibus, tanquam Scripturæ conformis & in ea implicitè contenta, illa est reverà Scripturæ conformis in eaque implicitè continetur, atque adeò sine ulteriori examine, ab ipso, qui certitudinem ejus quærit, instituendo, amplectenda est, tanquam purum Dei verbum. Atqui hæc doctrina, quam Ecclesiæ Romanæ Doctores proponunt, talis est. E. Et similiter: Quæcunque doctrina non proponitur à societate fide digna & viris legitimam missionem probantibus, tanquam Scripturæ conformis & in ea implicitè contenta, illa non est Scripturæ conformis, neque in ea implicitè continetur, atque adeò rejicienda est, tanquam commentum humanum pro puro Dei verbo falso venditatum. Atqui doctrina Lutherana, Calviniana & cæteræ omnes, præter Romanam seu Pontificiam, sunt tales. E. Quid autem hoc aliud est, quàm rationem normandi doctrinas diversarum Ecclesiarum, & dignoscendi veram ac Scri-

D

ptu-



(26)

pturæ conformem doctrinam ab aliis falsis & à scriptura discrepantibus, in immediata applicatione signorum credibilitatis ad doctrinas certarum Ecclesiarum ponere; & jubere homines, ut non tam Scripturæ ipsi, à se cum doctrina controversa collatæ, quàm hominibus signa quædam pro se afferentibus, & quænam doctrina Scripturæ conformis sit utcunque definiuntibus, fidem habeant?

XXXVI. Deinde verò & ut dicta Stenoniana penitiùs excutiamus; si quæstio sit, prout hoc loco esse debet, de controversiis non quibuslibet, verùm ipsam fidem concernentibus; fatendum est, *nihil esse indeterminatum in scripturis*; sed *determinata omnia*. Etsi enim non omnia verbis expressis ibi contineantur, traduntur tamen verbis æquipollentibus aut per consequentiam eamque planam, facilem atque evidentem, atque adeò non minus determinantur, quàm si verbis expressis proponerentur, ita ut non sit expectanda determinatio ab Ecclesia, sed quid credendum sit, fideles singuli ex ipsa Scriptura petere possint. Quò pertinet, quòd non solum negari non potest, Deum in scripturis loqui ad homines, ut sunt homines, sive prout ratione utuntur, & unum ex altero colligunt: verùm etiam quòd Salvator ipse *Job. V. 39.* commendat *scrutinium scripturarum*, quò singuli utantur, legentes cum attentione & iudicio scripturam, atque ita Spiritus S. sensum rimantes & assequentes. Et Paulus laudat Berrhoenses, *τὰς καὶ ἡμεῖς ἀνακρίνομεν τὰς γραφὰς*, id est, veram scripturæ interpretationem adhibitò iudicio quotidie scrutantes, quique adeò ipsi, quid credendum esset, determinatè assequi potuerint. Eodem etiam modo idem Apostolus, postquam *Thessalonicenses* suos *I. Ep. V. 20.* docuerat, *ne aspernarentur prophetias*, sive interpretationes verbi DEI aut doctrinæ Evangelicæ; statim addit vers. 21. *Omnia probate, quòd bonum est, tenete*; manifestè indicans, singulos fideles, probationem diversarum interpretationum, quæ circa ea quæ creditu necessaria sunt, afferri solent, non solum rectè suscipere, verùm etiã ita absolvere posse, ut eam interpretationem



nem inveniunt, quæ bona est, ac menti Spiritus S. conformis, quæque proinde tenenda sit, cæteris exclusis. Et Johannes I. Ep. IV. vers. I. scribit: *Charissimi, ne cuiusvis spiritui credatis; sed probate spiritus, an ex Deo sint; quia multi Pseudopropheta exierunt: ubi sanè fidelibus singulis commendatur ea opera, quæ in dijudicandis interpretationibus Scripturæ diversis veræque doctrinæ à Pseudoprophetarum commentis distinguenda atque adeò determinatè cognoscenda occupatur.*

XXXVII. Atque ita jam non fuerit difficile, respondere ad quæstionem: *Unde probetur, hanc propositionem hoc sensu sumptam esse purum Dei verbum, quando in S. S. non legitur expressis verbis? nempe sicut institutio scrutiniò Scripturæ & facta probatione, tenetur quod bonum est; ita simul liquidò constat, quænam propositio, quò sensu sumpta, sit purum Dei verbum; ita ut fidelis non sibi, non huic vel illi interpreti, neque Ecclesiæ seu viris legitimam missionem probantibus, quasi Deo per ipsos loquenti, sed Scripturæ ipsi, aut Deo per scripturas loquenti, credat.*

XXXVIII. Et quòd dicitur, non esse cuiuslibet, veras Scripturam interpretandi vias privatim inquirere; sed cuiuslibet fidelium veram Scripturæ interpretationem ab Ecclesiâ Dei, id est, viris legitimam missionem probantibus petendam, in eorumque sententia simpliciter tanquam in puro verbo Dei acquiescendum esse; omninò falsum est, & disertè repugnat sententiis Christi, Pauli & Johannis; ipsoque Berrhoënsium exemplo refellitur, ut non sit opus peculiarem in his refutandis operam ponere. Novimus etiam, quid jam pridem suo tempore judicaverit Erasmus in enarratione Psalmi I. quando, vereor, inquit, ne isti qui velint populum nihil attingere, non tam periculo commoveantur illorum, quàm sui respectu: scilicet ut ab istis solùm velut ab Oraculis petantur omnia. Quid hæc de re scriptum est? hoc scriptum est. Quem habet sensum quod scriptum est? sic intellige, sic senti, sic loquere. Atque istuc est bubalum esse, non hominem. Sed quod ad rem ipsam



attinet, quamvis donum interpretandi Scripturas, quatenus eò pertinet evolutio obscuriorum locorum, quorum sensus salvâ fide ignorari potest, non æquè in omnes cadat; sicuti tamen de eo hîc non est quæstio, ita ad præsens sufficit, quod semel atque iterum ostendimus; posse fideles singulos sensum Scripturæ quoad ea, quæ creditu necessaria sunt, ad amplectendam salutarem doctrinam fugiendasque falsas & noxias, ex claris scripturæ locis, & seu verbis æquipollentibus seu per bonam ac legitimam consequentiam invenire, atque adeò eatenus sibi ipsis fieri interpretes Scripturarum: quò pertinet tritum illud *Lactantii* dictum *Lib. VI. Div. Inst. cap. XXI. Num Deus & mentis & vocis & lingue artifex disertè loqui non potest? Imò verò summa providentia carere fuco voluit ea quæ divina sunt, ut OMNES INTELLIGERENT, QUÆ IPSE OMNIBUS LOQUERETUR.* Quamvis verò etiam munus publicum & ordinarium interpretandi Scripturam ad informandos alios, non sit promiscuè concedendum quibuslibet; tamen nec de eo hic disputandi locus est; ac nihilo minus fixum firmumque manet, quòd fideles singuli sensum scripturæ, quantum ipsis ad fidei integritatem necesse est, assequi atque ex scripturis ipsis, præcisâ auctoritate Ecclesiæ aut Doctorum missionem suam probantium, haurire possint.

XXXIX. Sed quid tandem illud est, quòd DN. Steno, *veram interpretationem ab Ecclesia DEI petere jubet; mox autem apertè fatetur, se nomine Ecclesiæ Dei non intelligere cœtum integrum verè credentium & sanctorum; neque cœtum omnium veram fidem publicè profitentium, per orbem terrarum dispersum; sed viros legitimam missionem probantes?* Certum sanè est, Ecclesiam his viris non absolvi: sed tamen ille, more receptò Pontificiorum, Ecclesiam nominando intelligit eos, qui repræsentare putantur Ecclesiam; scilicet, vel Concilium generale, vel Pontificem Romanum, seu cum concilio seu extra concilium. Notum enim est, quòd Pontificii alii quidem Concilium supra Papam constituent, & ab Ecclesia propositum credituq; necessarium dicant, quicquid à Pa-





à Papa in Concilio universali, vel etiam à Concilio universali solo, absque Papa, definitum atque ad credendum propositum fuerit : *alii* verò Papam supra concilium constituentes non solum negent, creditu necessarium esse, quod à Concilio universali solo, absque Papæ consensu definitur ; verum etiam quicquid à Papa cum concilio, non solum universali, sed & particulari definitur, & credendum proponitur , creditu necessarium statuunt : *Quidam* adhuc longius progressi, etiam ea quæ Pontifex solus extra concilium definit, creditu necessaria dicant, modò ille maturò consilio ad definiendum accesserit, adeoque prius audiverit consilium Pastorum : *aliqui* denique per providentiam divinam fieri non posse doceant, ut Pontifex sine maturo consilio quicquam in rebus fidei definiat ; adeoque credendum esse, quicquid ille, etiam absque consilio Pastorum, credendum proposuerit.

XL. Ita verò vide, CL. Steno, in quem labyrinthum, & nuper ipse ingressus fueris, & nunc inducas alios. Fluctuasti inter diversas religiones, & cum admitteres auctoritatem Scripturæ S. sensum tamen Scripturæ ex verbis ejus, ut cunque ea legeres atque expenderes, & quamvis Scriptura, ipsa de sua perspicuitate testaretur, assecuturum te non credidisti, certiozem interpretem Scripturæ ac judicem controversiarum quæstivisti. Nunc tandem, cum ex sententia Pontificiorum *Ecclesiam*, id est *viros legitimam missionem probantes*, audiendos in eorumque definitione acquiescendum decrevisti ; tanta occurrit opinionum de Ecclesia, quæ audiri debeat, discrepantia, ut in ipsa ultima assentiendi ratione fluctuare magis animum oporteat, quàm ut, ubi pedem tuto figat, inveniat.

XLI. Et ut porro Tecum loquamur, doctissime Steno, quæso, si vixisses eo tempore, quò *totus orbis factus erat Arianus*, referente Hieronymo, in *Dial. contra Lucifer.* quò *Liberius* ipse, Papa R. Arianam fidem professus est ; fatente, ut veteres taceam, *Platinâ*, & prolixius contra Baronium & socios ostendente *Matthæo Larroquano* in peculiari Dissertatione, *Genevæ, 1670.* edita ; quò denique *non in parietibus, non in tectis*



Et aedificiis quaerenda erat Ecclesia, sed in montibus, in sylvis, in lacubus, carceribus, voraginibus; juxta Hilarium contra Auxent. si tunc, inquam, vixisses; nonne hanc viam, quam jam incedendum putasti, desertam orthodoxam fide ad Arianorum castra accessisses, & signum sublatum, quotquot tibi auscultassent, eodem perduxisses? Sanè enim, exorta controversia, utrum Arianorum? an Homousianorum (quos ea tempora vocabant) doctrina Scripturae S. conformis sit? juxta hanc, quae nunc tibi placet, rationem normandi seu dijudicandi doctrinas controversas, primum disquirendum erat, quinam & quales essent, qui illam & qui hanc amplecterentur: cumque deprehenderetur, Arianorum societatem, quippe ampliolem & virorum plurimorum legitimam missionem probantium, magis esse fide dignam, quam alteram societatem eorum, qui ad incertitas redacti erant, & vix amplius cognosci poterant; jam non amplius dubitandum erat, per Arianos Deum loqui, & scripturam suam interpretari; non autem per Homousianos sive orthodoxos.

XLII. Denique etiam notum est, quid de statu Ecclesiae tempore Antichristi futuro vaticinata sit Scriptura, quomodo ille in templo DEI sedens, & signis ac prodigiis mendacibus quidem sed speciosis instructus, homines admodum multos perditurus sit; II. Thess. II. 9. quod profecto nihil aliud est, quam quod ille, licet in Ecclesia Dei eminens, neque adeo Scripturam ipsam omnino inde eliminans, non passurus sit homines ex ipsa Scriptura verum sensum ac doctrinam haurire, sed adhibitis diversis praestigiis se & cohortem suam, tanquam societatem fide dignam, unice audiri atque ab ipsis, quae fide tenenda sint, peti debere jussurus, & obsequentes multos inventurus. Videat itaque DN. Steno, annon vel imprudens causam Antichristi agat, & se ipsum pariter atque alios in exitium tristissimum conjiciat?

XLIII. Ecce verò, quomodo ille infirmitatem sententiae suae ipse prodat! Nam in Epilogo Epistolae de propria Convers. post verba §. xxx. citata, fatetur omnia ista quae de inter-





terpretatione Scripturæ & definitione controversiarum, ab Ecclesia, certis characteribus fulgente, petenda attulerat, non posse nisi probabilem quandam aut moralem certitudinem gignere, atque adeo formidinem oppositi non excludere. Atqui hoc ipsum est, homines à verbo Dei, unde *πληροεja* fidei nostræ unice pendet, abductos eò delabi aut detrudi, ubi sint *velut parvuli fluctuantes* & circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum in astatia ad circumventionem erroris, juxta verba Pauli suprâ allata Eph. IV. 14.

XLIV. Sed audiamus quomodo is nihilominus certitudinem fidei locum habere posse doceat & negotium omne l. c. exponat his verbis: *Possẽ multa referre tũm circa controversias particulares, tũm circa variorum exhortationes quolibet argumento validiores, sed ex generalibus superiũs dicta demonstrativa sunt ratione falsitatis aliorum, utut probabilia tantũm sint ratione veritatis Catholicæ; cũm illis ego tantũm moralem certitudinem adscribam, divinam certitudinem gratiæ divinæ totam acceptam ferens, quæ eodem tempore adeo abundanter me beavit, ut interni gaudii externa signa amicis patuerint. Sed divina certitudo nemini nisi eam experiẽti demonstrari potest; de argumentis autem certitudinis moralis inter nos differitur, qualia nobis esse plurima ostendimus, vobis autem nulla, imò vestris vos contradictionibus demonstrativa certitudine falsos convincimus. In altera ad Sylvium Epistola mentem suam clariũs explicaturus ita differit: Homo nec credenda intelligit sine divino lumine, nec intellecta credit sine divino impulsu, nec credita operatur sine divino concursu (subaudi speciali) res autem hæ intelligenda, credenda, operanda aliquo modo illi proponi debent, scilicet vel à Deo immediatè vel à Deo mediante humanâ voce aut scriptura. Dicimus itaque nos Deo credere exteriũs quidem per Ecclesiæ visibilia membra nobis loquenti, interiũs verò per suum spiritum illuminanti intellectum, moventi voluntatem & operationes omnes bonas prævenienti, concomitanti, perficienti. Si verò fluctuans querit, cur potiũs credendum loqui Deum per membra Ecclesiæ Romanæ quàm per membra Ecclesiæ à Calvino aut alio congregatæ,*  
da-



(32)

damus illi argumenta falsitatem reliquorum demonstrantia, veritatem autem nostram probabilem tantum reddentia (subaudi precipis principiis revelatis) ex communi principio deducta, ita ut prudenter dubitari non possit: sed cum his argumentis non possumus illi fidem dare seu certitudinem divinam, quam precibus à Deo expetendam dicimus.

XLV. Summa huc redit: (1) Quando inter nos & Pontificios quæritur, aut homo in isto quasi bivio constitutus dubitat; nostrane? an Pontificiorum doctrina sit vera ac salutaris, sive *purum verbum Dei*? non dari demonstrationes solidas ac firmas, quibus pars una litigans ab altera, aut homo fluctuans ab alio quocunque Doctore planè certus reddi possit, quænam doctrina sit verbo Dei conformis: interim (2) dari argumenta velut *externa*, quæ partim negativè ostendant, hanc illamve doctrinam, non esse veram doctrinam Christianam, quæque ut ille loquitur, *demonstrativa sint ratione falsitatis aliorum*; partim affirmativè probent, hanc certam (Romanæ Ecclesiæ) doctrinam esse veram ac divinam; ita tamen, ut hæc ipsa argumenta *probabilia tantum sint ratione veritatis Catholica*: Ut autem (3) homo, ultra probabilem opinionem aut moralem certitudinem, ad fidem & certitudinem divinam perducatur, opus esse peculiari operatione divinâ, per quam homo, qui hæctenus argumentis illis attendit, & Deo *externis per Ecclesiæ visibilia membra loquenti* credidit humanâ fide, jam *internis* quoad *intellectum à Divino spiritu illuminetur*, & quoad *voluntatem impellatur ac moveatur*, atque adeò assensus fidei divinæ generetur: Et (4) hanc gratiosam operationem *precibus à Deo expetendam* esse.

XLVI. Verùm hîc potius scire debebat DN. Steno (1) omninò dari argumenta, doctrinam veram solidè demonstrantia, & quid credendum sit, affirmativè & supra omnem exceptionem ostendentia, ita ut intellectus ejus, cui demonstrationes illæ exhibentur, per eadem planè convincatur. Quemadmodum enim Scriptores *Ἱερότυχοι*, vi verborum tanquam signorum ex instituto significantium adeoque pro-



positionum revelatarum, ex quibus conclusiones deduci possunt, ipsas etiam conclusiones tradiderunt, quæ in illis virtualiter continentur: ita argumenta, quæ ex propositionibus revelatis expressè inferunt conclusiones virtualiter in propositionibus illis contentas, ejusdem sunt certitudinis cum ipsis propositionibus revelatis, propter illum necessarium nexum propositionum & conclusionum. Imò assensum, quem revelatio divina per discursum (non solum immediatè & proximè ex revelatione sive testimonio Dei, tanquam ex ratione assentiendi deductum; sed & eum, qui proximè quidem & immediatè ex una vel utraque præmissa revelata, remotè autem ex revelatione sive testimonio Dei, tanquam ultimâ ratione assentiendi deducitur) generat, esse assensum fidei divine proprium adeoque certum & infallibilem; satis superque pridem docuit Vener. DN. D. Musæus Tract. de Convers. Disp. VII. quæ est de quæstione: an fides sit discursiva? pag. 442. seqq. Neque obstat, quòd sæpenumerò homines argumentis illis reluctantur. Nam quemadmodum aliàs docuit Aristoteles I. Anal. VIII. *περὶ τὸν ἔσω λόγον αἰεὶ ἔστιν ἐνστάσις, ἀλλὰ περὶ τὸν ἔσω λόγον οὐκ αἰεὶ* id est, ad externum sermonem semper habet quis quod opponat; sed tamen interius animus (per demonstrationem) ita convinci potest, ut quod solidè opponat, non inveniat: ita etiam hoc loco nihil roboris decedit demonstrationibus ex Scriptura petitis, si maximè exterius ex obstinatione animi & pertinacia voluntatis aliquid objiciatur.

XLVII. (2) Falsum est, argumenta illa, ab auctoritate societatis, doctrinam certam proponentis, petita, esse demonstrativa ratione falsitatis aliorum cœtuum, qui iisdem uti nequeunt. Stante enim istâ opinione, utique Ariani eo tempore, de quo suprâ locuti sumus, facilè demonstrassent falsitatem doctrinæ Homoufianorum, qui in montibus, sylvis, carceribus &c. latentes non potuerunt uti argumento ab auctoritate proponentium doctrinam suam petito. Et Antichristi tempore eodem modo satellites ejus demonstrare possent

E

fent



(34)

sent (aut nunc demonstrarent) falsitatem doctrinae verae, quippe  
cujus assertores non aequè extrinsecus fulgent, uti ipse  
Antichristus in templo Dei sedens. Et quod ex adverso  
dicitur, argumenta eadem *probabilia esse ratione veritatis Ca-*  
*tholicae*, etsi sanò sensu concedi possit, prout aliàs auctoritas  
proponentium certam doctrinam, eandem facere solet cre-  
dibilem; quia tamen ipsa Scriptura S. docuit, hanc ratione ar-  
gumentandi seductores, falsos Prophetas, & Antichristi ser-  
vos usuros esse, ut sub specie verae Doctrinae Christianae erro-  
res varios maximè noxios venditare possint; ideòque gravi-  
ter monuit, *ne credamus*, Matth. XXIV. 23. 24. 25. 26. *ne patiamur*  
*nos decipi*, II. Thess. II. 3. fore enim aliàs, ut *credamus mendacio &*  
*pereamus. ibid. vers. 10. 11.* hanc ob causam suspecta nobis potius  
sunt, quàm ut nos credulos inveniant, argumenta illa; præ-  
sertim quòd ita proponuntur, ut simul à scrutinio Scriptura-  
rum abducamur, & sensum ac doctrinam Christi non tam  
in verbis Scripturae, quàm in scrinio pectoris Papalis, aut mi-  
nistrorum ejus, quærere jubeamur.

XLVIII. (3) Certum quidem est, quòd assensus fidei  
divinae non fiat nisi à Deo ipso interiùs in homine operante  
& voluntatem movente ut assensum imperet intellectui; sed  
illa oppidò falsa & fallax sententia est, quòd in homine scri-  
pturarum auctoritatem jam agnoscente, atque inter doctri-  
nas diversarum Ecclesiarum ambigente, non producat assensus  
fidei divinae, doctrinae verae ac salutari præbendus,  
per ipsam Scripturam & Doctrinam, quæ in illa implicite con-  
tinetur, ex verbis Scripturae haustam ac meditatam; sed tan-  
tùm quando homo affert animum à Scripturae scrutinio pro-  
prio abstinentem, atque interim auctoritati societatis, præ-  
cæteris fulgentis, & sensum Scripturae proponentis atque  
exponentis, sese subjicientem. Illud enim potius fixum  
ac firmum manet; assensum fidei non aliter produci di-  
vinitus, nisi per verbum revelatum; & hoc ipso, quod  
DEUS per Scripturas suas ad nos loquitur & credenda  
revelat, simul eum, concursu suo supernaturali cum  
revelatione istâ, elevare eam, ut voluntatem in consensum  
tra-



trahat, & ad imperandum intellectui assensum determinet, ita ut assensus fidei divinæ in eandem, tanquam in rationem assentiendi, mediante discursu, resolvatur. Et sic etiam, ut homo, qui auctoritatem Scripturæ hætenus agnovit, inter divortia tamen doctrinarum, in diversis Ecclesiis receptorum, illi doctrinæ, quæ reverà implicite & per consequentiam in scripturis continetur, fide divina assentiatur, exclusis erroribus oppositis; necesse est ut ipse, adhibitò judiciò, scrutetur, quænam doctrina à Scriptura S. per modum conclusionum, à principio genuino dependeat, atque adeò implicite in ea contineatur; ita enim fiet, ut Spiritus S. per hanc ipsam doctrinam, quæ in Scriptura implicite continetur, divino concursu elevatam, animum hominis ad assentiendum eidem, fide divinâ, tanquam divinitus revelatæ, determinet; & ratio assentiendi in ipsam revelationem divinam redeat. Confer *Tract. de Conversione DN. D. Musæi l. c.*

XLIX. Illa verò DN. Stenonis sententia, etsi non exponat, quomodo, dum homo credit, *Deo exterius per Ecclesiæ visibilia membra nobis loquenti*; idem simul *interius à Spiritu S. intellectum illuminante & voluntatem movente*, fidem divinam, consequatur; necessariò tamen tandem eò redit, ut Deum, non per verbum, sed extra illud, assensum fidei divinæ operari statuat, aut rationem assentiendi ultimam non in verbum DEI & divinam revelationem, sed in auctoritatem Ecclesiæ vel Pontificis Romani referat; quemadmodum alii Doctores Pontificii, etsi diversas admodum vias ingressi, eò tandem descendunt, quod prolixè ostendit *DN. D. Musæus l. c. Cap. III. & Tract. de Eccl. P. I. Disp. IX.*

L. Et sic denique, quòd (4) dictum est, fidem certam ac divinam *precibus à Deo expetendam* esse; quamvis eatenus verum fit, quòd omnia bona spiritualia, sicuti unice à divina gratia proficiuntur, ita nostris precibus impetrari debent; quatenus tamen docetur, certitudinem hanc fidei petendam esse à Deo, tanquam non per verbum ipsum, accedente divino & supernaturali concursu, sed aliò quovis modo, seu



immediatè, juxta Enthufiaftarum placita, feu mediante locutione Ecclefia conferendam; jam tantum abeft, ut preces illæ fanctæ ac falutares fint, ut potius contra voluntatem Dei fiant, Deoque displiceant; atque adeò ficut promiffione felicitis eventûs deftituuntur, ita eundem etiam confequi nequeant. Nam quod DN. Steno fibi gratulatur, de *internò gaudiò*, quod tunc fenferit, cum fidei Romano-Catholica collum fubmiffiffet; viciffim eum nôffe oportet, quòd jam olim fimiliter Ifraëlitæ, cum defertò verò Dei cultu ad venerationem vituli aurei accessiffent, non minùs gavifi fuerint, & *interni gaudii externa figna* mutuò dederint; ut conftat ex *Exod. XXXII. verf. 6. 17. 18.* Et fortè poft hac deprehendet, fe pro thefauro carbones collegiffe, ac deplorabit gaudium, quò fe inconfultè oblectavit.

LI. Vidimus hætenùs præcipuum momentum difcursûs Stenoniani, quàmque fruflrà laboraverit, ut perfuaderet, interpretationem Scripturæ & definitionem controverfiarum fidei, non è Scripturis fed à *focietate fide digna* effe petendam. Nunc paulò diftinctiùs excutiemus collationem illam Ecclefia Romanæ cum aliis ab ea divifis, in primis Lutherana: quam itidem ideò inftituit, ut hæc & cæteris defertis, ad illam omninò accedendum, ejusque fententiæ in negotio controverfiarum fidei fubjiciendos effe animos evincat. Poftulat autem ille primò omnium fibi concedi, velut *extra controverfiam* pofitas, quæ feqvuntur, affertiones quinque: (1) *Extitiffe aliquando in Ecclefia Romana veram Chrifti Ecclefiam;* (2) *Habuiiffe majores nostros, cum Gentiles effent, à Romanis & doctrinam fidei & Doctores: adeòque* (3) *obedienciæ & fidelitatis juramentum Pontifici Romano præftitiffe,* (4) *Hòc juramento illos absque divinâ autoritate neminem folvere potuiiffe.* (5) *Omnes ad Lutheri usque tempora cum fpe vitæ æternæ mortuos, qui in Ecclefia Romana piè moriebantur.*

LII. Sed ex his dictis alia ambigua, & captiofe pofita, alia planè falfa funt. Quod ad *primum* attinet, notum est, *Ecclefiam Chrifti* aliquando accipi *proprie & præcise* pro  
cœtu



cœtu verè credentium & sanctorum; aliquando synecdochicè pro cœtu ex sanctis & non-sanctis, eandem fidei doctrinam profitentibus aggregato: & utrinque vel denotari Ecclesiam *universalem*, omnes seu verè credentes & sanctos præcisè, seu omnes veram doctrinam profitentes, sanctos pariter & non-sanctos complectentem: vel *particularem* Ecclesiam, aliquos tantum sive verè fideles, sive veram fidem profitentes continentem: quando etiam de Ecclesia ex sanctis & non sanctis aggregata sermo est, dici aliquando *veram* Ecclesiam, quæ omnes omninò fidei articulos rectè ac purè, sine admixtis erroribus, profitetur; aliquando etiam illam, quæ licet errores doctrinæ puriori admixtos amplectatur, non tamen nulla est Ecclesia, sed aliquid de doctrina Christiana rectè profitetur. Deinde differunt hæc duo, Ecclesiam Christi esse in aliquo cœtu, & cœtum illum ipsum esse Ecclesiam Christi: Porro non repugnat, certum aliquem cœtum, qui aliquando fuit vera Ecclesia, postea non amplius esse veram Ecclesiam Christi. Et sic concedimus quidem, Ecclesiam Christi pro cœtu verè credentium & sanctorum sumtam, quoad aliquam sui partem, seu quoad aliquos verè fideles & sanctos fuisse aliquando in visibili illo cœtu, qui dicitur Ecclesia Romana; fate-mur etiam, Ecclesiam synecdochicè pro cœtu promiscuo hominum, veram doctrinam profitentium, acceptam, aliquando quoad aliquam sui partem in Ecclesia Romana deprehendi potuisse, nempe olim, cum hæc quoad professionem publicam, doctrinam Christianam adhuc integram retineret: fate-mur etiam, Ecclesiam Romanam, postquam à primæva integritate descivit, tamen dici potuisse veram, ratione quarundam partium doctrinæ Christianæ, quas incorruptas retinuit, ita ut non esset nulla sed aliqua, licet corrupta, Ecclesia. Sed ideo nec tota Christi Ecclesia vera pro universo fidelium cœtu sumta, unquam inclusa fuit cancellis Ecclesiæ Romanæ: neque Ecclesia Christi, pro universo cœtu hominum veram doctrinam profitentium accepta, eodem ambitu contenta unquam fuit: neque Ecclesia Romana usque ad tempora Lu-



theri vera, id est, pura, incorrupta & non falsa Ecclesia Christi fuit: sed, quemadmodum alia Ecclesia particulares in Oriente, à puritate pristina desciscere potuit; ac descivisse eam ex collatione doctrinae, quam primis seculis, & quam sequioribus temporibus professâ est, ostensum à Nostratibus sæpè fuit.

LIII. Quod ad *secundum* attinet, ambigüe dicitur, *habuisse majores nostros à Romanis doctrinam fidei & Doctores*: vel enim solum indicatur, illos ab his accepisse codicem sacrae Scripturae, & simul in eo sensum illius verum ac salutarem, eumq; à Doctoribus, Româ aut vicinis locis egressis, aliquando propositum sive explicatum, & à majoribus nostris acceptum fuisse, ut tamen assensus sive fides horum non auctoritate Doctorum, aut eorum, qui Doctores emiserunt, sed Scripturâ S. ipsa niteretur; vel, juxta linguam Pontificiorum aliâs notam, accepisse à Romanis doctrinam idem est, ac eosdem habere credulitatis aut fidei suae auctores & propter illorum auctoritatem credidisse doctrinam propositâ. Priore sensu assertionem admittimus; posteriore negamus & rejicimus, prout jam pridem Erbermanno responsum est in Disputat. nostra supra citata §. XLII. seqq.

LIV. Quod *tertio* dicitur *de juramento obedientiae & fidelitatis Pontifici Romano à majoribus nostris præstito*, nondum ostendit DN. Steno, majores nostros, præsertim qui seculis anterioribus vixerunt, cum nondum fastus & dominatus Papalis ad tantum fastigium crevisset, obedientiam & fidelitatem Pontifici absolute & sine exceptione præstandam jurasse, qualemcunque etiam ille sese in proponenda doctrina fidei & gubernatione Ecclesiae præstiterit; seu quod in illius definitione quoad controversias fidei simpliciter acquiescunt, eumque tanquam universalem & supremum totius Ecclesiae Christianae in terris rectorem veneraturi, ejusque jussa sine omni hæsitacione executuri sint: quemadmodum sequioribus annis servos suos diversis juramentorum formulis sibi obstringere consuevit Papa; de quibus videri potest *Szegedius in Speculo Pontif. Rom. sub finem.*

LV.



LV. Quod si verò vel maximè faciamus, illud ita contigisse, sicuti sequioribus annis multos homines efficaciam erroris delusos fuisse negare non possumus; non tamen inde sequitur, eosdem vi juramenti istius omninò obligatos ad servile illud obsequium fuisse, ut jugum excutere nequiverint. Nam quod quarto dicebatur à DN. Stenone, *juramento isto absque divina auctoritate neminem illos potuisse solvere*: tunc demum valeret, si certum esset, juramentum ejusmodi legitimè fuisse præstitum; quod ipsum tamen est, quod negatur. Atque ita cum agnoscerent majores nostri, se malè jurasse consensum fidei cum eo, qui fidem veram deseruerat, & obsequium illi præstandum, qui se de jure divino tanquam supremum totius Ecclesiæ in terris caput colendum postulabat; valebat utique illud, quod ex ipsis Pontificiis *Becanus* docuit P. II. *opusc. in Tortur. Tort. parad. XII. p. 545. An ergò, inquires, putas, nemini integrum esse, mutare religionem, si juraverit, se non mutaturum? At si falsa sit religio quam juravit, se servaturum, quid tunc agat? Persistet potius in falsa religione, quam juramentum violet? Cave dixeris.*

LVI. Denique quòd Steno, in confesso esse, scribit, quod omnes ad Lutheri usque tempora cum spe vitæ æternæ mortui fuerint, qui in Ecclesia Romana piè moriebantur; id equidem verum est eo sensu; quod homines sub Papatu viventes per DEI gratiam verum à falso, pretiosum à vili, Christianum ab Antichristiano discernere, atque ita fidem pariter ac spem vitæ æternæ retinere, cumque illa mori potuerint, ac multi ita mortui sint. Sed simul observandum est, illos qui in Ecclesia Romana piè mortui sunt, non fuisse mortuos in fide ea, quam publica Ecclesiæ Romanæ professio inferebat; sed quam, erroribus illis exclusis aut ex animo ejectis, purior, verbi doctrina in mentibus illorum generaverat; prout fuisse ostendit sæpe laudatus DN. D. *Museus Tract. de Eccl. P. I. Disp. VI. §. LVIII. seqq.*

LVII. His autem observatis, jam non ampliùs difficile est satisfacere istis; quæ subjungit DN. Steno, quæque nos supra



suprà recensuimus §.xxix. Quando enim quæritur: *An, sub-  
ortis inde cum Luthero variis reformatibus inter se pugnantis,  
in Ecclesia Romana? an verò in quadam reformatum (seu à præ-  
cipuo Doctore certo nomine appellata) Ecclesia, vera Christi  
Ecclesia reperienda?* Respondetur, non repugnare, quin in  
diversis ejusmodi cœtibus sint homines verè fideles & sancti  
& qui in corruptis cœtibus vivunt, tamen corruptelas illïc re-  
ceptas vel non intelligant, vel illis non subscribant; adeo-  
que sit aliqua in talibus Ecclesiis eaque *vera Christi Ecclesia*  
propriè pro cœtu verè credentium & sanctorum accepta.  
Sed ille procul dubio non hoc, sed illud volebat quærere: *:  
Utrum (in casu recto) Ecclesia Romana? An alia quædam,  
ab illa distincta Ecclesia, sit vera Christi Ecclesia?* Hoc enim  
est, quod homo fluctuans quærit, non, an hïc vel illïc, quic-  
quid sit de prædicatione doctrinæ publica, sint aliqui verè  
credentes ac sancti, vera Ecclesiæ veræ membra? sed, qui nam  
ex pluribus visibilibus cœtibus, & quoad doctrinæ prædica-  
tionem publicam à se invicem discrepantibus, sit quoad præ-  
dicationem publicam vera Christi Ecclesia, cui ipse se quo-  
ad ejusdem doctrinæ professionem tutò associare possit? Et  
ad hanc quæstionem, ex his quæ suprà prolixè dicta fuerunt,  
in promptu est responsio; Scilicet eam esse veram Christi Ec-  
clesiam, cujus doctrina, quam publicè profitetur, Scripturæ S.  
conformis est. Atque ita eatenus assentimur Stenoni, quòd *o-  
mnes reformationes promiscuè admittendæ non sint, quodque Spi-  
ritus veritatis contrariarum Ecclesiarum autor esse non possit. Sed  
quòd ille addit; quænam Ecclesia reformatum reliquis præfe-  
renda sit, neminem invenire, falsum ac potius ex adverso faten-  
dum est, hominem antea fluctuantem, institutò scrutinio  
Scripturarum, veram doctrinam, adeoque & Ecclesiam veram,  
reliquis præferendam, posse omninò invenire. Ratio pro  
opposita negativa allata, quòd *nulli in ulla Ecclesia, præter Ro-  
manam, characteres extent probantes potiùs unam quàm alteram  
pro divina habendam, nullius ponderis est; cum non caracte-  
res Ecclesiarum à doctrina distincti; sed doctrina cujusli-  
bet**



bet inspicere & cum Scripturis conferri debeat. Neque obstat, quòd doctrina puritatem omnes illæ Ecclesiæ jactent, omnes ad Scripturas Sacras provocent Ecclesiamque suam omnes Apostolicam dicant. Nam etiam ad illud responsum est supra §. XV.

LVIII. Ecce tamen, ut ille porrò Ecclesias quaslibet, ad subjectionem Romanæ Ecclesiæ compellat, rationibus (1) ab ipsa Scriptura, ejusque (2) versionibus itemque (3) praxi Catechetica & Sacramentorum petit. Primam ita exponit: *Si à quolibet (aliorum cœtuum socio) Scripturarum suarum auctoritatem exigis ratione traditionis, nullos alios sibi eas porrigentes afferre possunt quàm quos ipsi damnant.* Si apertius eadem proferenda sit, procul dubio huc redibit. Si Lutherani & aliarum Ecclesiarum homines, ut Pontificios damnent, tamen illis eatenus fidem habent, quod Scripturam esse verbum DEI testantur, & eandem ab ipsis acceptam susceperunt; sequitur, quòd non possint eisdem denegare fidem, quando sensum Scripturæ proponunt & controversias fidei decidunt. Prius verum est. E. Respondemus autem negando Antecedens, licet etiam in Consequencia seu Majore propositione occurrant, quæ censuram merentur, quam brevitatis studio omittimus. Nam quòd nos (de aliis nunc non solliciti) Scripturam pro verbo DEI habemus, non inde est, quòd Pontificiorum tanta apud nos sit auctoritas; sed si absque aliis argumentis foret, quæ Scripturæ *Ἰερωδικίας* credibilem redderent, multum periclitatura fuerit certitudo Scripturarum, ea quidem, quam aliàs ex motivis credibilitatis externis habent: prout jam pridem ostensum est Erbermanno in Disp. nostra aliàs citata §. XLV.

LIX. (2) De versionibus Scripturæ ita disputat: *Si versionum varietatem legitimam probandam urges, nihil habent, quod afferant, præter autores reformationum:* atque ita procul dubio Vulgatam versionem, quam *societas fide digna* commendat, præferendam putat. Sed hîc potius ille observare debebat r. nostram sententiam non esse, quòd ulla versio, humanò studiò consignata, habeat vim normandi doctrinam  
F
fidei;



fidei: verum auctoritatem illam normativam, seu ut alias loquimur Canonicam, tribui à nobis Scripturae in suo textu primigenio spectatae. Conf. DN. D. *Musei Introd. in Theol. P. II. Cap. VII. §. IV. seqq. p. 539. seqq.* 2. Ut ostendamus, versionem B. Lutheri esse legitimam, non provocari à nobis, praesertim quando cum Pontificiis negotium est, ad ipsum Lutherum, autorem reformationis; sed postulare, ut conferatur versio illa cum textu primigenio, & ex utriusque convenientia, illam esse legitimam cognoscatur: sicut non ex alio fundamento, quam quod & in quantum fontibus conformis est, ulla versio fidem mereri, aut auctoritatem habere potest. 3. Etsi non ignotum nobis sit, quod Patres Tridentini decreverint, vulgatam versionem pro authentica habendam esse: non solum tamen hoc decretum naturae versionis humano studio consignatae repugnare; verum etiam eandem versionem multis in locis sensum genuinum textus primigenii non esse assecutam; neque ante concilium Tridentinum pro authentica habitam; imò à Pontificiis non paucis, eam propriè authenticam esse, negatum fuisse: praeter alios ostendit B. Gerhardus Conf. Cath. L. II. artic. I. cap. II.

LX. Quod (3) ad praxin nostram Catecheticae & Sacramentorum attinet, ita fermocinatur DN. Steno: *Si quaeris, unde Doctrina Catechetica & Sacramentorum praxis in qualibet Ecclesia? Licet omnes Apostolica sua esse dicant, nemo tamen ullam, non dico Ecclesiam, sed ne ullum quidem hominem nominare poterit, unde suae reformationis autor illam Sacramentorum praxin illamque Doctrinam Catecheticae acceperit, quae in ista societate pro Apostolicis habentur: Tandemque aliud nihil afferunt, nisi illud omnibus commune: Scripturas lege, & nos veros agnosces.* Et in his quidem verbis jam recurrit illud *πρώτον ψεύδος*, quod supra vidimus: scilicet quod non ex Scripturis, sed per sententiam definitivam societatis fide dignae dignosci possit vera doctrina eamque sequens praxis Catechetica & sacramentorum à falsa & noxia Doctrina ac praxi: quod cum antea destruxerimus, jam nihil ultra addimus quam



quàm (1) quòd planè falsum sit, nostram Ecclesiam, non posse, seu ullam Ecclesiam, sive ullum hominem nominare, unde suam Sacramentorum praxin ac doctrinam Catechetica[m] acceperit. Stat enim pro nobis ingens multitudo fidelium, ipsaque tota Ecclesia primorum ac puriorum seculorum; à quarum Doctrina & praxi descivisse Ecclesiam Romanam, ideoque factum esse, ut Ecclesiis aliis in erroris societatem pertractis (quanquam & Orientales multum discrepare à Romana, constet) non liceret Luthero immediatè à Romana Ecclesia, qualis tunc erat, petere doctrinam Catechetica[m] & praxin Sacramentorum, sed potiùs ad primævam puritatem redeundum esset: præter alios ostendit *Nic. Hunnius in Apostasia Ecclesie Romanæ*. (2) quòd falsò dicatur à DN. Stenone, nostrates ad ostendendam doctrinæ & praxeos suæ integritatem aliud nihil afferre, quàm illud omnibus commune: *Scripturas lege & nos veros agnosces*. Nam Nostrates ipsi potiùs ex ipsa Scriptura afferunt argumenta, doctrinæ & praxeos suæ cum Scriptura convenientiam ostendentia: atq; ita postulant, ut si quid solidi ad ea responderi nequeat, jam agnoscatur nos esse veros Christianos, veramque Christi Ecclesiam.

LXI. Denique DN. Steno l. c. ut doctrinam Romanæ Ecclesie cæteris omnibus, ac nominatim Lutherana[m] præferendam esse obtineat, laudat eam, tanquã à majoribus nostris pro divina habitam ante Lutheri tempora, utpote tot SS. Patrum testimoniis, tot Martyrum sanguine confirmatam, idque in Ecclesia, per quam DEUS eosdem majores nostros à Paganismo ad Evangelium converterit. Atque ita jam applicat ea, quæ suprà §. L. seqq. sigillatim excussimus, ideoque nunc breviter respondemus, falsum esse, quòd majores nostri, qui, ut suprà dixit, piè mortui fuerunt, hodiernam Romanæ Ecclesie doctrinam pro divina habuerint; ac imprimis quidem tunc, cum piæ morti vicini essent: falsum esse, quòd SS. Patres suis testimoniis, & tot Martyres suo sanguine eandem doctrinam R. Ecclesie confirmarent; Patres enim pro nostris potiùs partibus stare, jam sæpè à nostris ostensum, & scripta Pontificiorum, consensum



sum Patrum cum doctrina sua sollicitè emendantium aut extorquentium, confutata fuerunt. Martyres autem, pro doctrina Christiana in Scripturis contenta, persecutiones gentilium; & Homousiani persecutiones Arianorum sustinuerunt: pro doctrina autem Romanæ Ecclesiæ propria Martyres nullos factos novimus; sed fecisse Pontificem & Curiam ejus multos martyres, pro gloria verbi divini adversus decreta hominum militantes, facilius ostendi posset. Et sic etiam ad id, quod dicitur de Ecclesia, *per quam DEUS majores nostros à Paganismo ad Evangelium convertit*, ex superiore §. LI. peti potest responso.

LXII. *De Scrutinio Reformatorum*, quod in peculiari scheda tractavit DN. Steno, ad demonstrandum, *Reformatores morum*, id est, peculiarium Ordinum, quos Monasticos vocant, *conditores in Ecclesia fuisse à Deo, Reformatores fidei*, qualis sub Papatu demùm, circa Reformationis à B. Lutero susceptæ tempora fuit, *non fuisse à Deo*; nunc seorsim institutus esset sermo, si singula ibi proposita distinctè excutere cuperemus. Sed cum eam operam præsentis temporis angustia excludat, sufficere potest paucis indicasse; 1. *Extra controversiam esse*, quod si doctrina fidei corrupta sit, reformatio ejusdem & purgatio à corruptelis rectè instituat, quique eam operam rectè suscipiunt, utiq; à Deo esse censerì debeant: Itaque 2. ut ostendatur reformatorem fidei Lutherum ejusque socios (hostes autem Calvinus, Müncerus, Socinus &c. ad nos non pertinent) à DEO fuisse, nihil aliud requiri, quàm ut doctrina Pontificiæ Ecclesiæ, qualis tunc temporis fuit, ad Scripturæ normam revocetur, ejusque discrepantiâ inventâ porro monstretur, reformationem illius doctrinæ ita fuisse institutam, ut loco corruptæ doctrinæ nunc tandem purior, & cum Scriptura conveniens, prædicaretur in Ecclesia. 3. Morum reformationem non rectè institui, nisi juxta normam verbi Divini: & institutionem vitæ utcunque austeræ, rigidæ & externâ specie sanctæ, non importare legitimam morum reformationem, si magis ex humani ingenii placitis, quàm præceptis divinis pendeat. Et sic 4. di-

ver-



verfos illos ordinum Pontificiorum conditores, qui *consiliorum Evangelicorum*, quæ vocant, aliarumque rerum variarum observationem inconsultam, iniquam & superstitiosam sanciverunt, non fuisse à Deo: Illa verò si quæ DN. Steno adeò fusè tradidit, partim peregrina esse à vero statu quæstionis, partim falsa & fundamentis destituta. Atque ad hæc singula plenius ostendenda parati quidem nunc essemus, sed reservandus est labor ille occasione alteri: Interim verò Deo agimus gratias.

**S**acram dum scandis cathedram, tua cœpta secundet  
Jova, & successu prosperiore beet.

gratul. scrib.

FRIDEM. BECHMANN, D. P. P.

**C**um mihi, ut egregiè pro nostris militet aris,  
Spectatur ille BIELEFELDIUS meus;  
Et quàm doctrinæ conjuncta modestia eundem  
Et labis experts vita decoret plurimum.  
Nunc meritò laudes nostras & vota meretur,  
Et spem futuri honoris haud parvam facit.

Eximio DN. Respond. Imque fecit

P R Æ S E S.

**D**igna Tuo ingenio tractas doctisque probata:  
Magnos magna decent Teque decere probas.

Arte bonaque vales natura: læta fidei  
Spes surgit populo. Commoda mille feras.

Ita Clare Docto Viro Juveni DN. OTTONI BIELEFEL-  
DIO, Philosophiæ & Linguarum Orientalium Cul-  
tori indefesso, Theologiæ Studiofo felicissimo, Au-  
ditori suo pertinacissimæ diligentia, & Amico suo  
Intimo: In Theologicis pro concione publica dis-  
sertaturo apprecabatur

M. JOHANN. Weise/ Phil. Adjunct.

**I**mplum quotquot studio nituntur in altum,  
Ausibus Icaris dant cita damna suis.

Non sic BIELEFELDUS Sophiâ linguisque politis,  
Fortibus his alis astra corusca petit.

Nisus fata juvent meditantis culmen honoris,  
Ut doctos inter floreat & superos.

Paucula hæcce Præeximio ac Clare Docto DN. Auditori  
hactenus suo ut maximè strenuo ita felicissimo sin-  
gularis amoris ergo adposuit gratulab.

M. DANIEL VVETMAR.

OTTHO à BIELEFELD, Assindia Gnestphalus

καὶ ἀνάγερμα.

m. pro l.

Hostibus alligat os; Hem ades? Pudescant!

Rom. 3. v. 2. **A** Onidum decus egregium, BIELEFELDIUS, Ecce!

HOSTIBUS ALLIGAT OS eloquijs Domini.

Hem



HEM spectator ABES animo! mirabere dotes  
 Ingenii, tenuis quas capit hæc plagula!  
 Hinc Socii Icarii PUDEFIANT terque quaterque,  
 Abnormi causa qui cecidère suâ:  
 Gratulor interea TIBI de conamine tanto;  
 Faxit Jova feras commoda plura suis;

Sic Præstantiss. & Eruditiss. DN. Patriotæ gratul. scrib.  
 ALBERTUS PETRUS MIDDELDORF, Svvelmâ Gueſtph.

NATA Cupido fuit magnis Ottronibus olim,  
 Candida pro populis ducere bella suis.  
 Fautor amice tuum nomen, quæ nomina præstant,  
 Pro grege, lege DEI Bella subibit ovans,  
 Præfide cum claro frangat per dogmata vera  
 Dogmata falsiloqui, quæ mala multa fovent,  
 Essenam Patriam Cognatos atque Parentes  
 Ædepol ornabit, sedulitate sua.  
 Flagranti studio deerunt nec præmia magna,  
 Tempora sed lauro cinget Apollo tua.

Sic Præstantiss. Amico & suo Conterr. gratulari voluit  
 VVENNEMARUS HENR. TRIPPLERUS, Blankensteinâ-Gueſtph.

HACTenus ardenter Musarum castra securus,  
 Felicique manu gestasti Palladis arma,  
 Seu Sophiam spectes divinam sive prophanam  
 Aut sacras etiam linguas, meret illa decentem  
 Undique multorum studiorum copia plausum,  
 Egregium quorum specimen dum promere tentas,  
 Ter sanctum veneror Numen conatibus adfit,  
 Cedat in augmentum Ecclesiæ, votumque Parentum,  
 Inque tuam propriam cedant hæc cuncta salutem.

Sic Pereximio, clarè Docto Amico suo, Fautori ac Con-  
 tubernali æstimatiss. gratulab.  
 GOTTSCHALCUS BRINCKMAN, Bilsfeld. Ph. & SS. Th. St.

PEctore, more pio Stenonis subdola scripta  
 BIELFELDE, ingenii Divini munere felix,  
 Rejicis ac nitido pellis splendore tenebras.  
 Quare surgit honos meritis, nomenque perenne  
 Insuper ex meritis Parnassi Laurea ferta.


Sic Doctiss. Amico gratul.  
 JOH. GEORGIUS VVISMAN, SS. Th. & Ph. St.
















6  
DISSERTATIO THEOLOGICA,  
<sup>Quâ</sup>  
(Tit.) DN. NICOLAI  
STENONIS,  
ex Medico Lutherano Episcopi Pon-  
tificii Titiopolitani, hodiè in aula Duca-  
li Hannoverana degentis,  
ARGUMENTA PRÆCIPUA  
pro deserenda Religione  
Luthero-Evangelica  
& amplectenda Pontificia, in diversis  
schedis allata discutuntur.

*Hanc*  
DEO JUVANTE  
PRESIDE  
JOH. GVILIELMO BAJERO,  
S. Th. D. & Prof. Publ. itemque Facult.  
Theologicæ h. t. DECANO,  
*ad d. XIX. Octobris MDC LXXVIII. Oct. 1678*  
publicæ ventilationi submittet  
OTTO à BIELEFELDT, Essend. Gvestph.  
in AUDITORIO MAJORI.

JENÆ, Literis JOHANNIS WERTHERI, Typographi Ducalis.

